

Biography







DE

GREGORIO BERSMANO

PHILOLOGO ET POËTA

PROFESSORE LIPSIENSI OLIM CELEBERRIMO
ILLUSTRIS GYMNASII SERVESTANI

RECTORE PRIMO.



COMMENTATIO

HISTORICA LITERARIA

QUAM SCRIPSIT

GUILIELMUS SCHUBERT

SERVESTÆ AD ECCLESIAM SCT. MARIÆ PASTOR SCHOLARUM INSPECTOR.

SERVESTÆ.

SUMTIBUS ET TYPIS ISIDORI WALLERSTEIN.

MDCCCLIII.

VIRIS CLARISSIMIS

INGENIO, VIRTUTE, SAPIENTIA PRAESTANTIBUS,

HENRICO RITTERO,

ILLUSTR. DUCI ANHALT. A CONSILIIS SCHOLASTICIS, OLIM SERVESTANI, NUNC IAM DESSAVIENSIS GYMNASII DIRECTORI, ORDINIS ANHALTINI, QUI DE PR. ALBERTO URSO NOMEN HABET, EQUITI,

ET

CAROLO SINTENISIO,

PHILOSOPHIAE DOCTORI, ILL. FRANCISCEI SERVESTANI DIRECTORI AC PROFESSORI PRIMO,

AMICIS SUIS, SUMMA OBSERVANTIA COLENDIS,

HASCE PAGELLAS,

AD

FESTUM SEMISÆCULARE FRANCISCEI SERVESTANI CELEBRANDUM SCRIPTAS,

OFFERT

GUILIELMUS SCHUBERTUS.

Accipe mente bona dictam, Rittere, *salutem,*
Omine quem fausto nomen habere puto,
Istorum haud similem, qui falso invertere verum,
Et luci tenebras conciliare student;
Doctrinae quos ventus agit, velut Eurus aristas
Huc illuc flatu praecipitante rapit:
Tu quoque sis salvus perquam mihi, Carole docte
Sintenis, *urbis honos, Tu nitor atque scholae.*
Bersmanum adspicitis redivivum, qui velit idem
Vos salvere, sui lumina Gymnasii,
Arte mea tenui surgentem, testis ut ipse
Sit sibi doctrinae, qua fuit, ac fidei:
Quanta fuit studiis quondam ferrata columna,
Quanta erat eloquii gratia visque sui,
Quamque erat in votis, homines defendere iustos,
Et multare, decet qua ratione, malos.
Singula quid referam? Referet modo cuncta latine,
En, ego cur pariter verba latina loquor.
Quin vatis vatem vel me iuvat esse, poëtam,
Bersmani (fateor) carmine saepe gravem.
Carmine sed opus est, opus est votisque saluti
Gymnasii, Musis quod patet ingenuis,
Quodque fovet studiis natos mihi, quatuor olim,
Vae iam tres, uni coela parante Deo,

Guilielmo: lacrimis nomen noto, namque erat ille
Maximus et natu, maximus ingenio;
Flos sibi vita fuit, brevis et ceu floribus aetas,
Reddita donec eris, Tu rosa cara, vale!
Indulgete patri luctum, Vos, ambo magistri
Illius, exemplis funera ad usque duces.
Gregorii Vobis Bersmani encomia mando,
(Id quod Guilielmo spes erat alta meo)
Quae si non dedero iam talia, qualia vestra
Doctrina et pariter qualia poscit honor,
Excusant hoc quae me exercent tempore curae,
Vis iam quaeque meum deficit ingenium.
Vos, quibus Aonius bibitur felicius humor,
Et quorum ingenium divite fonte fluit,
Et Tu juncte mihi vinclo Rittere sacrato,
Sintenis et mihi Tu fautor amore pari,
Vos iam date mihi, quales Vos usque dedistis,
Et vultu placido sumite parva mea.
Cunctarum fasces teneas, Rittere, scholarum,
Gymnasium nostrum, Sintenis, orna diu!
Huc addat, si quae vitae sibi postulat usus,
Accumulans Vobis commoda cuncta Deus.
At equidem cessem Bersmani ludere Musas,
Quod superest, iam Vos rite monebit amor!

Datum ex hortulano suburbio Ancunensi, „qui terrarum mihi praeter omnes angulus ridet", die festo Pentecostes anno MDCCCLIII. *W. S.*

DE GREGORIO BERSMANO

NARRATIONIS ARGUMENTUM.

Auctorum, qui Bersmani vitam narraverunt, breviter quidem omnes adeo, ut extremo quasi digito summam tetigerint, potissimi hi sunt:

Melchior Adam in libro de Vitis Germanorum Philosophorum p. 503—507, ex oratione funebri, a M. Coppenio Servestano anno 1612 Heidelbergae habita.

I. C. Beckmann in opere suo voluminoso, indigestæ moli comparando: Historie des Fürstenth. Anhalt P. VII. fol 329.

Henricus de Marées in volumine nono Encyclopædiæ, literarum et artium ab Erschio et Grubero editæ, p. 230—232.

Scriptorum Bersmani numerus recensetur in A. G. Schmidtii, viri literarum studiosissimi, immature defuncti, libro: Anhalt. Schriftstellerlexion. q. 34. — Auctor iam huiusce narrationis in eam rem se intendit, ut e scriptis Bersmani editis quæ ad vitam eius pertinerent, colligeret hisque alia adderet, quibus et huius viri et ætatis, qua vixit, rationes illustrarentur. Id quod ita quidem fecit, ut cuncta his comprehenderet capitibus:

I. Ortus Bersmani Annabergæ 1538. Parentes et matertera. Prima pueri institutio.

II. Bersm. 1549 Misenam missus literis ibi elegantioribus imbuitur. Propensus Rectoris Fabricii in eum animus. Philippus Camerarius et Simon Stenius condiscipuli.

III. Studia Lipsiæ academica 1555. Ioach. Camerarius, Bersmani fautor ac patronus.

IV. Studiorum profectus. Bona Bersmani existimatio, vituperati tamen ob animi vehementiam.

V. Bersm. absolutis studiis academicis Magisterii honore ornatur. Ad peregrinationem accinctus Lipsia discedit 1561.

VI. Itinera per Galliam et Italiam.

VII. Studia Patavii, Ferrariæ et Bononiæ.

VIII. Bersmanus Romam petit, quam ut intret, ei non contingit. In patriam revertitur.

Nota. Pag. I. lin. 7. p. aerariae lege aerario, s. rei aerariae.

I.

Oppidum est in ea Saxoniæ parte, quae prominentia montium Bohemicorum ad oram septentrionalem continet, fodinarum metallicarum copia iam pridem florens, quod *Annæ Montem* nominant*). Eo in oppido natus est ***Gregorius Bersmanus*** anno Christi MDXXXVIII die sexto Idus Martias, parentibus non fortuna quidem magna præditis, sed probis et honestis. Pater, cui nomen ***Henrico Bersmano*** fuit, Annæbergæ aerariae pauperum praefectus erat, vir antiquae virtutis, qui quanti literas et artes fecerit, ingenua filii institutione satis clare demonstravit. Mater vero, quae, nescio qua stirpe oriunda, *Annæ* cognomine vocabatur, praematura morte ante absumta est, quam Gregorius filiolus primum aetatis annum complevit, „rapta prius misero genitrix quam cognita nato, quam satis infanti nomine nota foret", ut ipse Bersmanus exclamat in carmine. Ita quae plerisque infantibus a primo ortu contingit summa felicitas, ut carae matris in ulnis ac complexibus haereant, ea Bersmanulo divinitus denegata fuit. Sed Deus etiam providit, ne nimia inde miseria in puerum tenerum redundaret. Erat

*) In vicino mons est, qui vetusto nomine Schreckeberg dicitur. Foecundiores argenti venae sub montis huius radicibus promicantes animum addebant accolis, ut in his antea nemorosis montium scopulis urbem Annæbergam conderent anno saeculi XV nonagesimo septimo.

enim ipsi soror ex avia, ***Ursula Schreiter,*** femina Annæbergæ primaria, quae cum vidua esset sine prole, eum iam in tutelam suam recepit ac pro suo eduxit filio, haud illiberalem sese praebens optimarum artium magistram, semina virtutis in puero delitescentia et ore et exemplo foventem. Quibus pro maximis in se meritis Bersmanus summa, dum vixit, pietate huius materterae suae magnae memoriam coluit: imo non praetermittendum putavit, quin nomen et virtutem eius carmine celebraret, ex quo hos versus huc afferre non abs re erit:

Non ex patre mihi mater, nec sanguinis ortu,
  Tu mihi materno pectore mater eras.
Nam viduae prolem tibi quod natura negasset,
  Ipse tibi proles et tibi natus eram.
Tu gremio me saepe tuo complexa fovebas,
  Tu mihi ponebas anxia rite comam.
A te elementa hausi pietatis prima magistra
  Ac balba didici voce lalare Deum.
Tu mihi formasti primis rude pectus ab annis
  Praeceptis coepi cultior esse tuis.
Ingenii tibi profectum, tibi debeo morum,
  Si quis est, certe muneris ille tui est.

Sed iam redeat narratio ad Bersmanum puerum, qui quidem semet ipso urgente, simulac per aetatem licuit, in scholam parochialem, ut nuncupant, missus est, adeo infirmis adhuc viribus, ut optima illa Ursula saepenumero eum illuc portaret suis innixum humeris, at vero tam facili promtoque ingenio, ut ludimagister parvulum genibus impositum et sic pensa recitantem aliis ostenderet in aemulationem et exemplum*). Quem

*) v. carmen in obitum Ursulae:

O pietas, tu me ad Musas quando hora vocabat
  Gaudebas humeris sustinuisse tuis.
Mene humeris, gravis annorum tibi mole, subibas,
  O pietas, ô mi non reticendus amor.

grammatices elementa et pietatis prima rudimenta facile arripientem ac non vulgarem de se spem ostendentem pater ubi animadvertit, illum sibi cura peculiari educandum atque in studiis literarum pro viribus provehendum esse duxit. Itaque eum, cum annum haberet aetatis undecimum, penatibus valedicere iussit et *Misenam* transmisit, ubi tum humaniora studia egregie vigebant Rectore *Georgio Fabricio*, poëta laureato, qui permagna celebrique fama iuventutem optimis et moribus et literis in ea urbe informabat*)

II.

Talem iam praeceptorem in omni eruditionis et virtutis genere perfectum nactus Bersmanus tanto ardore animi tantaque celeritate percepit disciplinas cum latinas tum graecas, ut permultos, ne dicam omnes, condiscipulos in eo ludo praecurreret eósque facile superaret in oratione componenda non solum soluta, sed etiam metrica sive numeris ligata. Quandoquidem enim poëtices amore a primis, quod dici solet, unguiculis tenebatur, eandem hanc artem et Misenae inprimis exeroebat, quum, ex sententia illius saeculi, sibi persuasum esset, neminem posse ullam eruditionis laudem consequi, qui non in hoc genere literarum diligenter versatus sit. Atque colebat unice quoscunque inter aequales poëtarum titulo censeri atque excellere in facultate tam praeclara accipiebat; maxime vero lectione poëtarum veterum delectabatur, quorum

*) Illustris schola Misnensis haud ita multo ante, anno MDXXXXIII, constituta erat auspiciis et munificentia Ducis Sax. Mauritii, qui liberaliter ei coenobium Afranum dicaverat. Alebantur ibi pueri centum cum quatuor praeceptoribus. De Georgio Fabricio Chemnitiensi, qui annos viginti sex indefesso ibi studio Rectoris munere functus ao. 1571 obiit, v. Melch. Adami librum de vitis Germ. Philosophorum p. 223.

ex hortis flosculos ad copiam supellectilis literariae quotidie sibi sullegebat.

De hisce vero rebus loquentem audire iuvabit ipsum, multis annis post iucundam tirocinii Misnensis memoriam his verbis repetentem*) „Acuebat,“ inquit, „hanc studii mei contentionem et currenti, ut est in proverbio, calcar addebat praeceptor meus Georgius Fabricius, qui cum omni liberali doctrina esset politissimus et poëticae inprimis gnarus, non modo scientia me augere poterat, sed etiam exemplis. Incitabat praeterea me condiscipulorum meorum in ludo illustri aemulatio, at quorum? adolescentum solidae laudis cupidorum et magna laboris et diligentiae contentione in eodem curriculo sese exercentium. Et fervebat enim tum opus et concitato quisque cursu palmam appetebat Musicam: in qua consequenda, si non prima tenere posset, extremum saltem redire pudebat unumquemque.“

Idem alias**) ab ipso ita relatum legitur: „Solebat ille studiorum moderator peritissimus ac morum formator fidelissimus non modo hortatu praeceptisque, sed suo etiam exemplo augere in nobis studii ac diligentiae assiduitatem, acuente eandem et quasi instigante condiscipulorum quoque nostrorum, in illo spatio nobiscum decurrentium, aemulatione. Et ardebat enim tum cum alacritate discendi in animis omnium cupiditas quaedam verae laudis et urgente unoquoque cursum quem poterat, indecorum ducebatur, in postremis relinqui. Quod si quem ingenii vis defecerat, haudquaquam ille spe infracta et languescente studio ad otium et inertiam devolvi, sed naturae impedimenta superare labore et industria.“

Tanta vero quum esset et in praeceptore docendi solertia et in discipulo discendi cupiditas, quid mirum, quod ille ac-

---

*) v. epistolam, quam B. priori poëmatum suorum parti praemisit.

**) in epistola, qua tomo primo Georgicorum Virgilii praefatus est.

cerrimus ingeniorum censor hunc in dies magis ac magis in gratiam suam reciperet eumque diligeret ut pater filium? Quam quidem benevolentiam Fabricius cum multis aliis beneficiis tum eo potissimum declaravit, quod Bersmanum honestissimo et optimae spei iuveni, ***Philippum Camerarium*** dico, qui a patre de manu, quod aiunt, in manum sibi traditus erat, studiorum et contubernii socium adiunxit. Fuit is celeberrimi tum Professoris Lipsiensis ***Ioachimi Camerarii*** filius, quicum Bersmano et discere una et habitare contigit. Quo in contubernio iuvenes pro ea, qua uterque erat sedulitate, cum diurna opera antelucanam coniungere solebant exercitationem, ut neque dies ipsis sine linea, sed ne tempus quidem, quod natura quieti concessit, sine labore prorsus praeteriret*). Neque tamen hi gemini contubernales unice secum vivebant sine suavitate sodalitatum, sed et aliis scholae alumnis utebantur familiariter, nullo magis, quam ***Simone Stenio***, quem deinde Bersmanus studiorum quoque socium nactus est in Lipsiensi et Vitebergensi Academia.

In illo igitur spatio cum decurrisset Bersmanus annos totos sex, quod erat tempus curriculo illi praescriptum, iam in Academiam abiturus Misena anno MDLV decessit, grata mente reponens dulcissimam bonorum ibi perceptorum memoriam, nulla unquam oblivione delendam. Quod quidem, ut alia omittam testimonia, postmodum carmine testificatus est, quo mortem Georgii Fabricii luget his et aliis huius modi versibus:

O meritis mihi cara tuis schola Misnidos urbis,
O mihi post patrios proxima cura lares,
Nunquid damna tuae sentis immensa ruinae
Quae facis, heu tanto post caritura viro,

---

*) v. epistolam, priori poëmatum parti praemissam.

Quo nec sollicitas turbae puerilis habenas
  Doctior et facili flectere frena manu?
Illius indomiti metuebant verbera virgae,
  Ponebantque animos hoc moderante feri.
Ipsius ad nutum, nullo terrente flagello,
  Muneris urgebant debita iussa boni.
Hunc patris obsequio reverenter habere solebant,
  Huius et offensas ducere grande nefas
Huius pendebant cuncti narrantis ab ore,
  Mellifluos quoties funderet ore sonos.
Huius inexhausto cuncti de fonte bibebant
  Artis et omnigenae cognitionis aquas.

* * *

Is mihi tradebat praecepta salubria vitae,
  Arcens a vitiis, et facienda monens.
Is mihi pandebat doctas, quas noverat, artes,
  Sedulus ingenii cultor amansque mei.
Ille meis dubia quassatis sorte malorum
  Confugium Musis, ille levamen erat.
Pars mihi laudis erit, sub te didicisse Magistro,
  O Fabrici, cuius carmine fata gemo.
Queis tibi promeritis, dum spiritus hos reget artus,
  Sole novo grates, et fugiente canam.

* * *

Hactenus haec: en, ore natat mihi carmen in ipso,
  Nunc salve Fabrici, perpetuumque vale!

III.

Eo iam tempore, quo Bersmanus post confectum in schola curriculum cursum ad Academiam dirigere parabat, primae in Academiis partes studio theologico tribuebantur, prout ferebat illud saeculum, ob Reformationem ecclesiae cunctis memorabile terris. Secundo quidem loco antiqua philologia habebatur, sed ita, ut eiusdem fere cum theologia dignitatis consors esset, idque non immerito. Nemo enim est, quin videat, quam arcto cum theologia vinculo coniungantur antiquarum literarum studia, quippe quae non modo ingenium ad verum cognoscendum mirifice excerceant et cuiusvis boni ac honesti desiderio quasi religione adficiant animos, sed etiam ad sanam Scripturae sacrae interpretationem, cui tota theologia superstruitur, et facultatem praebeant et materiam. Certe igitur non absque singulari Dei beneficio evenit, ut saeculo XIV, quo densissimis Papatus tenebris orbis christianus opprimebatur, primo humaniora antiquitatis studia respirare ac reviviscere coeperint, quae nimirum subsequenti aevo ad sacra emendanda facem praeferrent. Neque non manifestum est, quantopere vir immortalis memoriae *D. Martinus Lutherus**), ad instaurandam ecclesiam adiutus fuerit ab eo doctorum virorum genere, qui antiquae philosophiae scientia et erudita linguarum cognitione pollebant. Quorum in numero locum sane primum tenuit ***M. Philippus Melanchthon***, fidus Lutheri Achates, de quo, ut acerrimo doctrinae evangelicae vindice adversus Pontifi-

*) Nota est egregia **Lutheri** sententia: »Ego persuasus sum, sine literarum peritia stare non posse sinceram Theologiam: sicut hactenus, ruentibus et iacentibus literis, miserrime et cecidit et iacuit. Quin video, numquam fuisse insignem factam verbi Dei revelationem, nisi primo, velut praecursoribus Baptistis, viam pararit surgentibus et florentibus linguis et literis.« v. Tom. 2 epist. Luth. p. 307.

cios, ille vere praedicare potuit, quod Cicero de Catone dixit, hunc unum sibi fuisse pro centum millibus. Quem eundem aequales, honoris exquisitissimi causa, ***Magistri Germaniæ*** titulo ornaverunt, quod ipsius e schola tamquam ex equo Troiano innumeri exierunt literarum sacrarum et humaniorum principes, qui ad ecclesiae, reipublicae et scholarum incrementum mirum quantum contulerunt, non in Germania tantum, sed in tota fere Europa.

Tanta igitur quum esset Philippi Melanchthonis gloria, facile colligitur, Bersmanum nostrum, studio discendi incensum flagrantissimo, nihil magis in votis habuisse, quam ut eam urbem et academiam adire sibi liceret, ubi vir ille non comparabilis regnum literarium tenebat. At vero quod est apud Horatium „non cuivis homini contingit adire Corinthum," id tum Bersmanus quoque expertus est, quem quidem inopem necessitas *Lipsiam* migrare coëgit, quoniam hac in urbe sibi cedebant ea subsidia, quae, flagitante Fabricio, a Pr. Electoris Augusti munificentia impetraverat. Quae tamen necessitas tantum abest, ut ipsi impedimento fuerit, ut contra nihil ei optatius cadere potuerit ad prosperum studiorum suorum successum, quippe cui Lipsiae contigit, ut *Ioachimum Camerarium**), virum Melanchthoni coniunctissimum eidemque et doctrina et virtute haud disparem, qui post illum unum alter Saxoniæ ocellus dicebatur, patronum atque fautorem nancisceretur, rebus suis omnibus paterna cura consulentem. De

---

*) Ioachimus Camerarius (natus Pabepergæ, urbe Franciae, anno 1500, denatus anno 1574) inter principes fuit, qui tum in Germania studia graeca et universas literas humaniores, barbarie pulsa, certatim excitaverunt. Georgius, Princeps Anhaltinus cognomine Pius, tanti eum fecit, ut tempore belli Smalcaldici eum cum tota familia sedibus suis Dessaviæ reciperet. Quam arcto autem quasi sanctioris necessitudinis vinculo Philippo Melanchthoni iunctus erat, videre licet ex narratione, quam de vita Melanchthonis scripsit tam graviter quam eleganter. De vita et scriptis eius conferendus est M. Adami liber de vitis Germanorum philosophorum p. 258.

quo fortunae beneficio ipse ita loquitur*): „Atque magna mea felicitate evenit, ut non prius pedem in illa urbe (Lipsia) ponerem, quam et veteris mei praeceptoris literis, et commendatione quoque Philippi Camerarii, iuvenis ad omnia summa nati, quem Misenae et contubernii ac studiorum societate et amicitiae necessitudine mihi habebam devinctissimum, conciliatus essem Magno illi Ioachimo, utriusque literaturae atque adeo omnis humanitatis parenti. Quo cum et doctore uterer et ἐργοδιώκτῃ, non modo non deserui cursum illum studiorum, quem Fabricio duce non infeliciter ingressus eram, sed etiam acrius aliquanto eum persequi coepi, admovente mihi stimulos tanto viro, cuius et auctoritas apud me erat summa et iudicium fiebat maximi."

Eiusdem exempli locus exstat in epistola ad Philippum Camerarium data, quo Bersmanus studii Lipsiensis primordia, nec non adjumenta, quae familiae Camerariae accepta tulit, his verbis repetit*): „Cum autem, quod scis, post confectum in schola illustri curriculum, Lipsiam ambo proficisceremur, te quidem paulo post in dissimilium studiorum tractatione Iohannis Sturmii fama Argentinam abduxit, me vero fruentem beneficio illustrissimi et inclyti Pr. Septemviri Augusti retinuit istic admiratio solidae eruditionis et utriusque linguae cognitionis omnino incomparabilis, quam, illa etiam aetate, in parente tuo, praeceptore meo, perspicere poteram. Cuius non solum solertiam et industriam, sed etiam in me complectendo amorem et benevolentiam experiebar singularem, cum ex commendatione veteris praceptoris nostri, tum conciliatione eius, quae mihi Misenae tecum intercesserat, familiaritatis et necessitudinis. Atque hoc nomine et toti familiae

*) In epistola dedicatoria priori Poëmatum parti praemissa.

**) v. epistolam primo tomo Georgicorum Virgilii praescriptam.

vestrae carus eram, quae me Philippi sodalem appellare consueverat, et in fratrum tuorum amicitiam veni, Ludovici praesertim, cuius candore et morum suavitate coniuncta cum vera animi pietate, ac prudenti simplicitate et artis Medicinae peritia non vulgari, mihi per aliquot annos iucunde frui licuit."

IV.

Trahit sua quemque natura, exempla incitant. Id quum experti sciamus omnes, non est, cur miremur, Bersmanum Lipsiae summo eoque prosperrimo studio politioribus deditum fuisse literis, utpote quae non solum indoli suae prae ceteris conveniebant, sed etiam auctoritate praeceptorum atque fautorum suorum quam maxime sibi commendatae erant. Quod vero praeter studia philologica, philosophica et poetica, simul et artis medicinae rationem non modo curiosam, sed etiam studiosam habuit, id profecto mirabilius esse videtur. Mihi quidem nihil in mentem venit, quare id putem factum esse, nisi forte causam censeas eam fuisse, quod amicus ille medicus, Ludovicus Camerarius, animum Bersmani eo direxerit, vel quod saluberrimae illius artis amplitudo iuvenem cuiusvis scientiae et honoris avidissimum allectaverit.

Tot tantisque studiis occupatus ille non usque tamen ad severam Catonis regulam vixit, sed interdum cum grege amicorum in iis quoque celebrationibus interfuit, quibus juventus academica delectari solet, scilicet ut exploret secundum Horatium, quam dulce sit, desipere in loco. Ceterum Bersmanus is erat, quem ob excellentiam ingenii cives Academiae suspiciebant omnes et ob carmen amabile amabant plurimi.

Attamen in moribus eius hoc aliqui reprehendebant, quod natura esset vehementior adeo, ut irasceretur graviter et interdum a verbis acerbis non abstineret. Ipse in se vehementiam fuisse et animum irritabilem ingenue confitetur, sed tum maxime, quum aut honesta detrectari, aut turpia defendi intelligeret, neque umquam ita, ut non judicio sed petulantia ferri, neve pro pietate adversus impietatem dictis factisque pugnare videretur. Quod cum ita se haberet et Bersmani integritas atque fides, non simulata quidem utraque, cognita esset, ille ob nimium animi ardorem nihilo minus placuit iis, quorum in animis alti aliquid inerat et honesti: imo nervos virtutis potius, quam vitium esse illam vehementiam iudicabant multi, annuente viro gravissimo, Ioachimo Camerario, cuius aequam de se opinionem Bersmanus consignavit hoc testimonio*) „Et amabat ille (I. Camerarius) ingenium meum, quod alii propter vehementiam carpebant, et foetus illius non improbat. Ac memini ego ipsum de me usurpari illud Themistoclis dictum, quod relatum est a Plutarcho: ex pullis ferocissimis optimos evadere equos, si recte educentur et instituantur.**) Et si quid praeterea in me malevolorum notabat acerbitas, atque obtrectationis calumnia (qua nescio quo fato vix in lucem editus laboravi) id ita excusabat, ut aetatem diceret, quicquid id esset, detrituram.“ Sed quid opus est verbis, quum idem vir nobilissimus, quam bene de Bersmani moribus existimaret, ea ipsa re probaverit, quod illum libenter in familiam suam adscivit et non solum filiorum suorum, sed etiam sua dignum iudicavit amicitia. Transeamus ergo ad alia.

---

*) v. epistolam, qua priorem poëmatum partem I. Posthio dedicavit.

**) v. Plutarchi Themistoclem cap. II: *τοὺς τραχυτάτους πώλους ἀρίστους ἵππους γενέσθαι, ὅταν ἧς προσήκει τύχωσι παιδείας καὶ καταρτύσεως.*

V.

Anno MDLXI Bersmanus amplissimos illos honores, qui absolutis in Academia studiis philosophicis decerni solent, non sine laude consequutus est. Quibus honoribus quantumvis licet tribuisset merendis, tamen non tantum tribuit acceptis, ut sui admirator exsisteret et magisterii titulo ornatus iam se esse magistrum sibi persuaderet, quemadmodum multos hodie videmus iuvenes, qui simul ut sapere coeperunt, iam sapiunt, et ubi vix limen libaverunt sapientiae, sibi fingunt penetrasse. Contra ille noster iuvenis, quo erat vero sapientiae studio, nomen Magistri artium omen duxit sibi accipiendum esse et incitamentum, ut inchoatum studiorum cursum indefesso labore ad ultimam metam extenderet. A quo consilio ne longa mora prohiberetur, ille privatae disciplinae conditionem, quam Schleinitia familia nobilis haud illiberali praemio sibi offerebat, recusandam esse non dubitavit, ut videre est ex epistola Henrici Siberi, III. Cal. Febr. anno MDCLXII data, quae documento simul est, quanto in honore esse Bersmanus illa iam aetate coeperit. His enim Siberus eum appellat verbis honorificis: „Nihil mihi, Lipsiae nuper cum essem, potuit accidere optatius, quam quod te ibidem offendi, te inquam, Bersmane, quem iam dudum propter excellens ingenium atque doctrinam non vulgarem et dilexi plurimum, et ignotum de facie, etiam singulari quodam animi inductione veneratus sum: nunc vero cum familiaritas inter nos contracta sit, te, ut debeo, amo plurimum.“

Iam vero Bersmanus ad excolendum et doctrina et usu animum, ac praecipue ad consummandum artis medicinae studium de peregrinatione cogitavit, et paratis quibus opus erat rebus omnibus, itineri se commisit cum nonnullis comiti-

bus, equo vectus, nec non gladio accinctus, ut illo quidem tempore viarum publicarum impedimenta et pericula postulabant. Amicos vero, qui secedentem et viatico et optimis omnibus prosequebantur, moerente animo valere iussit et paulo post ex itinere valedictoria, ut inscripsit, elegia salutavit, ex qua versus aliquot huc translatos esse lectorem non pigeat.

O mihi fraterno dilecti more sodales,
  Queis sine dulce mihi nil fuit, est, et erit:
Este salutati, memores et vivite nostri.
  Vos ego, quod superest temporis, usque colam.
Tuque, o communis studiorum Lipsia mater
  Semper amata mihi, semper amanda vale.
Si reducem vestris sistent me numina terris
  Et mihi luce dies fulserit iste bona,
His vobis gratus suspendam munera ripis,
  Atque hoc in tiliae cortice carmen erit:
„Haec patriae caris Bersmanus redditus oris.“ *)

VI.

Notum est, studia elegantiora, quae ab Alarici, Gothorum regis, tempore per totam fere Europam ad nihilum reciderant, ut ab iniuria novem saeculorum vindicarentur, Graecos plurimum adiuvisse eos, qui e patria, crudeli Turcarum tyrannide oppressa, exules in terras occidentales confugerunt. Quorum quidem ope inprimis Italia et quae vicina erat Gallia literis

*) Antequam Lipsiam relinqueret in solenni Academiae conventu V. Id. Quintiles memoriam Pr. El. Mauritii celebraverat recitatione carminis, octingentos et quod excurrit versus distichos complectentis. Legitur hoc carmen cum alio eiusdem argumenti, quod iam anno 1557 publice recitaverat, in tomo I. poëmatum.

inclarescere coeperunt adeo, ut saeculo XVI quam plurimi undique homines docti et studiosi illas in terras advolare consuescerent, tamquam ad optimarum artium locupletissima emporia. Easdem quoque terras Bersmanus petiturus primo tetendit in Galliam adhortante Ioanne Sturmio, quem quidem virum laudatissimum Argentorati convenit et audivit etiam docentem. Hinc igitur via, qua per Lotharingiam in Campaniam Gallicam itur, libenti animo progressus ad urbem Catalaunum prope ripam Matronae accessit, breviterque ibi moratus, Lutetiam Parisiorum se contulit. Hac in urbe inclyta, illo iam tempore hominum ex orbe toto confluentium quasi mundo, peregrinator noster aliquamdiu consedit, usque dum quae visu et auditu sibi digna videbantur diligenter cognoverat. Tum vero iter ad urbem Bituricem, quae hodie *Bourges* dicitur, convertit, ubi, ne ad maris Atlantici oras progrederetur, prohibitus est belli tumultibus, Guisiacorum principum ambitione et furore in Reformatos male pio excitatis. Quibus turbis non sine vitae periculo se subducens Bersmanus properato itinere Lugdunum abiit, et paulo post e finibus Galliae incolumem se Genevam recepit. Illinc, superatis Alpibus, in amoenos Italiae campos descendit, et tandem *Patavii* substitit, urbe illa Antenorea, Titi Livii natalibus clara, studiis tum literarum et artium totius Italiae celeberrima.

VII.

Erat haec urbs illo tempore amplissima, quasi urbem dicas in rure et rus in urbe, gratissimis hortorum recessibus ornata, studiosorum hominum perquam commoda statio ob

tranquillitatem et ob laudatam aëris temperiem. Unde fieri solebat, ut Germani Italiam adeuntes perlubenter ibi primo insisterent, aëri Italico adsueturi.*) Iam vero quum ruris et hortorum aemoenitate poëtas omnium maxime delectari constet, facile intelligitur, quam laeto animo poëta noster Bersmanus in his felicibus Musarum sedibus commoratus sit, quantamque perceperit voluptatem e quotidiano adspectu laurorum, myrtorum, olearum, ficorum eiusque generis aliarum, sibi novarum, arborum et plantarum, quibus ager Patavinus feliciter abundat. Neque tamen propter hoc ille ad exemplum se accommodavit eorum, qui in Academiis plura ad adspectum et voluptatem, quam ad usum et fructum referunt, imo vero plurimum collocavit in cognoscenda arte medica, quam exquisitissimi doctores in ea urbe profitebantur et exercebant peritissime. Hoc in studio medico quum annum unum Patavii consumsisset, in vicinam urbem *Ferrariam*, ubi tum etiam *Philippus Camerarius* iuris prudentiae operam dabat, se contulit, ibique alterum exegit annum literis potissimum humanioribus deditus, ad quas accuratissime investigandas ipsam denique *Bononiam* adiit, urbem boni nominis et ominis, in qua saltem versatum esse illo tempore satis erat ad doctrinae commendationem. Ab arte vero medicina salutari illa quidem, sed ut ferunt Hippocratem dixisse, ex aliorum miseria suas percipiente molestias, utrum pertaesus ipse sese avertertit, an ab aliis admonitus, nescio. Hoc tantum cognitum habeo, *Georgium Fabricium* identidem illum adhortatum esse, literis humanioribus nihil ut anteferret. Ita enim, ut exemplum afferam, Bersmano suo scripsit Fabri-

---

*) Edoctus sum de his epistola, quam Petrus Lotichius, Bersmani fere aequalis, ex urbe Patavina ad amicum dedit.

*) literis, anno 1563 datis. v. Bersm. poemata Tom. I. ad calcem.

cius*): „Novi vigorem ingenii tui, novi eximiam naturae facultatem; quanto autem amore tenearis optimarum artium et virtutis, ipse testis esse possum. Iam autem cum verseris in ea natione, a qua humanitatem nos accepimus et quae custos antiquae sapientiae semper fuit, non dubito, quin et inter nostros homines excellas, et exteris quoque gratus et acceptus esse incipias. Volui autem nunc mea quoque hortatiuncula pro amore meo erga te quasi calcar addere, ut id perficias industria et constantia, quod me auctore fideli et aviae tuae monitis sanctissimis, adhuc puer inchoasti. Accusare autem te possem, quod hactenus nihil scripseris, sed id facere ideo nolo, quia te spero posthac crebras magis et prolixas esse missurum. Cupiditati autem meae quaeso ut satisfacias, et de viris doctis, qui nunc istic florent, omnia diligentissime perscribas, in primis de *Paulo Manutio*, *Carolo Sigonio*, *Petro Victorio*, qui viri literarum nostrarum principes, quasi in Germania habitarent, ita in ore atque sermone omnium hominum versantur.“

VIII.

His et aliis huiusmodi adhortationibus plurimum auctoritatis accessit ex eo, quod Fabricius ipse aliquando literarum et artium politiorum causa Italiam perlustraverat, Romam usque progressus. De quo ille postmodum multa narrare solebat discipulis suis, quorum in manibus quoque carmen erat, Romæ nomine inscriptum, quod Fabricius ita ad versus poëtarum veterum adaptaverat, ut expressum ex illis

et effictum esse videretur. Hinc etiam Bersmanus adhuc puer maximo desiderio affectus est visendae salutandaeque illius urbis, totum quae olim terruit orbem, ubi, quacunque ingredere, vestigium ponas in aliquam historiam, ut de Athenis refert Cicero. En causam, cur idem iam in flore aetatis Italiam non sibi relinquendam esse putavit, antequam Romam visisset. Verum enim vero hoc sibi summum decus itineri suo addere negatum est, quia comes, nescio quis, cum quo Romam petiturus erat, in via morbo affectus, precibus suis obtinuit, ut ab itinere suscepto recederent. Nec scio, an ponam, hoc feliciter ita evenisse, quum Romam illo tempore adire maxime periculosum erat iis, qui a formulis papisticis alieni evangelicam sequebantur doctrinam. Cuius rei documentum vel ille Philippus Camerarius praebuit, qui Romae ob religionem in carceres Inquisitionis coniectus vix salvus evasit, nisi Imperator et Albertus, Bavariae dux, auctoritate sua subvenissent.*). Ceterum Bersmanus facile acquiescere potuit in iis, quos iam e peregrinatione perceperat, literarum et artium fructibus, quum non solum experientia artis medicinae doctior et cognitione Gallicae atque Italicae linguae auctior, sed etiam arte poëtica longe ornatior et omni genere doctrinae philologicae et philosophicae multo locupletior evaserit. Exstat carmen Christophori Schellenbergii**), Bersmano nostro dedicatum, in quo praeter alias res ad vitam eius pertinentes tota etiam peregrinatio belle descripta legitur. Quam quidem descriptionem poëticam, quoad nomina continet eorum, quibus Bersmanus in Italia doctoribus usus est, integram apponendam censui:

---

*) v. Bersmani elegiam „in reditum Philippi Camerarii, postquam liberatus esset e custodia Pii IV Pontif. Maximi.“

**) in primo tomo poëmatum Bersmani.

Dicite*), quo studio Bersmanus adhaeserit illic (Patavii)
Ingenio magnis eloquioque viris,
Robortelle tibi, Picolominee tibique,
Qui studium arguti grande Platonis alunt:
Et vobis medicis, Capivacci Hieronyme, Victor
Trincavela, Crassi Paulleque nomen habens:
Queis Antenorea Bersmanus in urbe moratus,
Dum dociles aures commodat, annus abit.
Alter et annus abit, dum doctos sedulus audit,
Quos urbs de ferri nomine dicta fovet, (Ferraria)
Dignus doctrina vestra, Baptista Canane,
Vincentique, tuo dignus amore Madi,
Nec non Aemylio perfusa Bononia Rheno,
Fons doctrinarum Pieridumque parens,
Misniaco juveni pretiosa magistra, Sigoni
Tuque admirandus Carole doctor eras,
Qui tibi Fabricio quoque commendante placebat,
Commendabilior laudibus ipse suis.*)

IX.

Ita Bersmanus postquam tres fere annos e patria abfuit, ineunte hieme anni MDLXIV ex Italia rediit et animo Deo confidente sedem ac domicilium suum Vitebergae collocavit. Ibi iam Academia tribus abhinc annis maximo ornamento et quasi capite suo, Philippo Melanchthone, orbata erat, cui

---

*) Poëta Musas alloquitur.

**) Franciscus Robortellus, Utinensis, exsul ob homicidium, ad primam eloquentiae et philosophiae cathedram evectus, obiit Patavii anno 1567. — Franciscus Piccolomineus, Patavii philosophiae Professor, Platonis cum Aristotele conciliator, obiit 1604 in urbe Senarum, patria sua. — Hieronymus Capivaccius ex nobili familia Patavii natus, artis medicinae Professor, obiit 1589. — Victor

anno MDLX beata et placida mors obtigerat*), abducente eum propitio Deo et eripiente atrocissimis invidiae flammis, ab ea Theologorum cohorte conflatis, qui, quoniam ille de sacra Christi coena et quibusdam aliis doctrinae sacrae locis non tam cum Luthero sentire, quam ad sententiam *Calvini* accedere videbatur, venerabile caput eius calumniarum obtrectationumque quasi venenatis sagittis perfigendum uno animo sibi proposuerant. Iidem in tam impium odium coniurati Theologi, quorum acerrimi duces in nova Ienensi academia resederant, purae, utpote sibi fingebant, doctrinae Lutheri vindices, non verebantur, quin sanctissimos quoque manes Melanchthonis insectarentur contumelia, nihil non exquirentes et scrutantes, quo laedi fama nomenque illius posse videbatur. At vero res ita comparata erat, ut quae crimini tribuebantur Melanchthoni, plurima non tam ab huius integerrimi viri vitio profecta, quam ab alienae invidiae interpretatione inventa esse pateret. Quam ob causam isti clamatores vociferationibus suis nihil tum aliud effecerunt, nisi taedio sui ut afficerent omnes, qui a mendaciis abhorentes veritatem amabant et „quibus invisa erat non modo superstitio, sed etiam barbaria.“**) Quorum in numero et Bersmanus erat, qui iniustissimos illos furores in virum immortaliter meritum pie detestans libere se, ut artium liberalium decebat Magistrum, politioris huma-

---

Trincavella, maximus tum in Italia philosophus et medicus, ad quem omnes tanquam ad Apollinem undique confluebant, obiit Venetiis 1568. — Carolus Sigonius, philologus in omni genere literarum et artium politiorum perfectissimus, Bononiae obiit 1584. — Vincentius Madius s. Magius (Maggi), quem Bersmanus in carmine ei dedicato summum philosophum appellat, Ferrariae poëticen et literaturam antiquam profitebatur. Scripsit etiam librum de poëtica Aristotelis et Horatii. — Baptista Cananus, archiatrus Pontificis Maximi, Ferrariae Anatomiam docebat.

*) Moribundus in pagella consignaverat causas, cur minus a morte abhorrendum sit, inter quas et hanc: „Liberaberis ab aerumnis et a rabie Theologorum.“

**) verbis his usus est Ioachimus Camerarius in libro de vita Melanchthonis.

nitatis assertorem praebuit, laudibus prosequentem maximis nomen Philippi Melanchthonis,

> Qui cumulo implevit meritorum Teutonis oram,
> Qua patet Arctoï littus ad usque maris,
> Eloquii parens Latii pariterque Pelasgi,
> Teutoniae lumen, summus et orbis honor:
> Aetas cui non prisca parem melioribus annis
> Extulit, at mundi effeta senecta ferat.*)

Quam ob ingenuitatem Bersmanus perquam gratus et acceptus erat Vitebergensis academiae Professoribus, qui una cum collegis Lipsiensibus memoriam Melanchthonis sanctissime colebant, et omnem lapidem movendum esse arbitrabantur, ne qua res eo perveniret, quo intendebant adversarii, ut doctrina scilicet Melanchthonis opprimeretur, libri eius proscriberentur et literarum humaniorum disciplinae, ab illo tam feliciter ad usum sacrum accomodatae, studio theologico tamquam profanae et pestiferae procul arcerentur.

Neque vero cuiquam ibi gratior Bersmanus erat et exoptatior, quam veteri condiscipulo suo Simoni Stenio, Lomacensi, qui tum studii theologici consummandi causa Vitebergae commorabatur. Eo iterum cum amico iucundissime coniunctus, et aliorum quoque complurimum humanitate et familiaritate gaudens, ille otium Vitebergae cum Musis agebat et tanquam e specula occasionem muneris adeundi prospiciebat, quod optanti ipsi in academia deferretur. De qua exspectatione sua has a Georgio Fabricio accepit literas**): „Vellem, tibi possem facere spem alicuius functionis honestae et

*) Bersmani elogium in sepulcro Ph. Melanchthonis.

**) Hanc epistolam et ceteras, quas deinde citabo, videas in Sylloge epistolarum, carminibus Bersmani annexa, nisi aliter a me indicatum erit.

te dignae: sed suadeo isthic in luce maneas, donec se offerat vel occasio vel potestas tibi consulendi."

X.

Quem vero honorem exspectare ubi visum est longum, anno postero oblatum collegae munus in schola Portensi subiit, Ioachimi Camerarii consilio obtemperans, qui quidem scripsit: „In signo literarum tuarum animadverti expressum *τύπον ἀστέρος φαέθοντος*. Hoc te sumsisse credibile est propter illius collocationem in themate genethliaco tuo opportunam. Decernitur igitur tibi splendor et dignitas, cuius scilicet tempus est exspectandum. Quod si istud fortasse decus et haec laus ad scholasticam *προφάνειαν ὑπὸ τοῦ στίλβοντος* quasi eliditur, ne hoc quidem contemnes: *οὐ γάρ ἀπόβλητ' ἐστὶ θεῶν ἐρικυδέα δῶρα*. Neque tu minus conspici atque eminere eruditionem tuam isthic existimes, quam hic (Lipsiae) aut similibus aliis congregationibus, cum vestri quoque ludi nomine adiuvari possis, quem scis titulo illustrissimi celebrari solere." Neque fefellit ea sententia virum egregium. Etsi enim in pulvere scholastico versari inque eo florem aetatis consumere sane molestum est et speciem prae se fert haud ita magnificam,*) tamen teste gravissimo Cicerone**) „nullum munus melius maiusve reipublicae adferre possumus, quam si doceamus iuventutem, iis praesertim moribus et tempori-

---

*) Gratia rara, labor certus, cum pulvere praedor,
Praemia sunt huius certa magisterii.
Ita Bersmanus ipse exclamat in carmine ad Henr. Durfeld, docentem in ludo Portensi, scripto.

**) in libro de divinatione II. 2.

bus, quibus illa prolapsa est, ut omnium opibus refrenanda atque coërcenda sit.“ Ac vero ludus Portensis is erat, qui tum *Porta coeli* dicebatur, quod ibi aditus ad coelum et ad salutem aeternam ostenderetur ab optimis iuventutis magistris. Ibi igitur pueros instituens Bersmanus ita se gessit, ut propter sedulam prudentemque muneris suscepti curam, nec non propter summam morum honestatem a Rectore D. Baldufio observaretur, a collegis et discipulis amaretur. Horas vero subsecivas suis impendit studiis privatis, ad quae, temporibus illis, Astrologiam quoque pertinuisse intelligitur e Camerarii et Fabricii epistolis. Ille enim, ab amico quodam rogatus, ut curaret fieri iudicium ab aliquo de temporibus natalitiis tribus, et recordatus, solere Bersmanum quoque huiusmodi argumenta explicare, eidem huius operae elaborationem commisit. Item Fabricius de *natali hora* Horatii, cuius poëta in Oda libri secundi decima septima mentionem fecit, astrologicam a Bersmano explicationem quaesivisse videtur, orans eum „illum, obscurum sibi, Horatii locum explicare ne gravaretur, et ex eodem *genesin* principis poëtae investigare, in qua Mars principem locum obtinuisse videretur.“ Nec sinebat Bersmanus in hoc pulvere scholastico exarescere venam suam poëticam, ob quam abundantem in libro Hortorum, quem Aegidius Periander collegerat, inter poëtas Germanos se numeratum vidit, addito ad nomen suum tali elogio:

Tu quia Nasoni conaris proximus ire,
  Te merito vatem Teutonis ora colit.
Cresce precor: viridem nectunt tibi numina laurum,
  Pocula Pimplaeo plena liquore parant.

Quibus discipuli sui laudibus in sinu gaudens Fabricius stimulum Bersmano literis admovit, ut carmine suo maiora amplecteretur. „Nam quia ad felicem naturam adiunxisti

doctrinam et experientiam, vellem ut singulare aliquod argumentum eligeres tuo ingenio dignum, in quo quotidie elaborares, idque eligeres, quod tibi placeret, seu morale aliquod seu historicum. Si me audiveris, non te poenitebit et laurum merebere.“ Quo fidelissimo et amantissimo veteris praeceptoris consilio licet ille moveretur, immorari tamen in praesenti non potuit, quippe qui paucis mensibus interiectis e ludo Portensi in latiorem campum avocaretur.*)

XI.

Nam ob felicissimam in illo ludo praestitam operam Bersmanus anno MDLXIIX Professoris philosophiae munere in academia Vitebergensi ornatus est, ad quam provinciam omni modo paratus accessit. Quum enim ingenio tali esset, quale Plato in philosopho requirit, discendi cupidissimo, veritatis amantissimo et laboris patientissimo, philosophicas quoque disciplinas, Lipsiae iam diligenter tractatas, in Italia a subtilissimis dialecticis ita didicerat, ut cum laude eas publice docere et profiteri posset omnes. Tradebatur tum temporis philosophia Aristotelea, quam consuetudine receptam et Italorum nuper diligentia a sordibus Scholasticorum purgatam, Evangelici quoque sibi commendatam habebant auctoritate potissimum Melanchthonis persuasi, qui, quamquam ab Aristotelis sententia de fato, de aeternitate mundi, de mortalitate

---

*) Ad eam avocationem haud dubie spectat hoc Bersm. carmen:

Nos hinc fata vocant, Pueri mea cura valete,
Aonidum pueri turba dicata sacris.
Ire iubet, quoniam ire iubet Deus arbiter orbis,
Ille regat nostras duxque comesque vias.

animae et similibus, improbandis christiano erroribus longissime aberat, tamen nullam iudicabat esse aliam philosophiam, quae meliorem methodum sequeretur minusve haberet subtilitatis sophisticae, nullam igitur, quae commodius ad disciplinarum severiorum studia augenda adhiberi posset. Qua in re ut exemplo etiam praeiret suo et modum ostenderet, quo philosophia Aristotelea emendatis erroribus abiectisque quaestionibus superfluis ad vitae usum et reliquarum disciplinarum cultum referenda esset, Philippus Melanchthon summam dialectices, rhetorices, physices, nec non ethices et doctrinae de anima in totidem libros contulerat, qui, cum brevitate, ordine et perspicuitate docentium pariter ac discentium usibus optime responderent, praescriptum erat in Academiis, ut eorum secundum normam et regulam philosophia a Professoribus traderetur. Pro hac igitur studii philosophici ratione Bersmano Vitebergae ea provincia obtigit, ut Melanchthonis libro de anima duce summam psychologiae exponeret. Verum hoc ipso iam tempore apud multos enata erat suspicio, nimium philosophiae studium sinceritati religionis detrimento esse, et quum Aristotelem (non tam suo, quam interpretum scholasticorum vitio) a Luthero plane improbatum esse constaret*), id Flacianae theologorum factioni satis auctoritatis erat, ut increscente in dies odio in Aristotelem eiusque laudatorem Melanchthonem declamarent omnemque philoso-

*) „Mein Rath wäre, dass die Bücher Aristotelis Physicorum Metaphysicae, de anima et Ethicorum, welche bisher für seine besten gehalten wurden, ganz würden abgethan sammt allen Commentarien; so doch nichts daraus mag gelernt werden; dazu auch seine Meinung bisher Niemand genug verstanden hat, und mit unnützer Arbeit und Kosten so viel edler Zeit und Seelen umsonst damit beladen gewesen sind." v. Lutheri Opp. ed. Ien. Tom. I. p. 130. Hanc ob abusus scholasticos severiorem de philosophia Aristotelea sententiam ne quis ita accipiat, ac si omnem improbet philosophiam, vetat haec alia Lutheri sententia: „Vehementer et toto coelo errare censeo, qui philosophiam et naturae cognitionem inutilem putant theologiae." v. Tom. I. ep. p. 360.

phiae ac rationis usum in contemtionem vocarent. Quos sinistros de philosophia sermones Bersmanus, novi numeris honore tactus, non modo, ut fas erat, refutare, sed tam acerbe castigare solebat, ut multorum odium in se converteret. Hinc sane magnae ipsi molestiae exortae esse videntur, quas quum ad Ioachimum Camerarium detulisset, has accepit a paterno illo amico consolatorias literas**): „Epistola tua indicat magnam varietatem cogitationum tuarum, et animi perturbationem. Etsi autem non dubito, quin nequaquam leves causae tibi dentur vel indignationis et irae, vel sollicitudinis ac metus, te velim tamen cum dissimulando, tum tolerando eam firmitatem et constantiam praestare, quae et professionem sanctae religionis et eruditionem bonarum literarum, et nostrorum studiorum doctrinam decet. Neque ulcisci magis obtrectatores tuos poteris, quam si re ipsa i. e. colendo virtutem et exercendo bonas artes convincas eos vanitatis atque mendacii. Nosti Socraticum illud: Quid si me asinus calce percussisset?“

Ac profecto non surdo ille hanc narravit de asino fabellam. Nam Bersmanus, licet adeo sibi imperare non posset, ut aequo animo audiret obtrectatorum convicia, tamen pati didicit, et colendo virtutem et excolendo bonas artes ita famae suae consuluit, ut contemnere sibi liceret istos contemtus. Quo quidem eodem modo suam quoque dignitatem tuebatur Camerarius, qui, quum pacificus esset et tam providus, ut iniuriarum cautionem adhiberet maximam, tamen, quia scholae Melanchthonianae praesidebat, tantis contumeliis petebatur, quantis alius nemo. Quapropter quum paulo post Bersmanus quatuor psalmos**) ad Camerarium misisset, quem malevo-

*) Datae sunt Norimbergae die 19. Ian. anno 1570.

**) Votivos pro salute I. Camerarii, morbo gravi tum liberati.

lorum rumor diem obiisse sparserat, hic ut ederentur optavit quidem, sed ut suo nomine inscriberentur dehortandum duxit, ne ex hac publica odiosi nominis sui celebratione „nova pabula“ quaereret istorum malevolorum petulantia. Bersmanus autem ad rem bonam non ita timidus psalmos suos publice in honorem Camerarii emisit addita hac ad illum appellatione:

At tu da veniam mihi benigne,
Quod cum te rear alterum parentem,
Non obtempero ceu decet parenti,
Ausus prodere propalam legenda,
Quae tu clam retinere me volebas.
Vicit nempe cupiditas et ardor,
Rumores hominum severiorum
Omnes unius aestimarem ut assis.
Nam cur invidiae morarer iras,
Virtutem invidiae furor lacessit.
Sic est, sic fuit, atque erit deinceps,
Nec vesania seculi procacis
Cum pilis animum exuet malignum.

Ceteroquin, ut narrare pergam, Bersmanus Vitebergae muneri suo satisfaciens non item sibi satisfecisse videtur repetendo eandem quovis anno cantilenam libelli de anima. Qua re nimirum exoptato ei accidit, ut ex hac mediocri conditione brevi post ad maiora provectus in eam urbem avocaretur et academiam, quae sibi alma studiorum mater fuerat, cuius desiderio flagrans ad amicum scripserat:

Fama refert, nullus vitae est jucundior usus,
Quam muros intra Lipsia blanda tuos.

XII.

Viteberga igitur avocatus Bersmanus anno MDLXXI vere ineunte Lipsiam concessit, ubi ordini philosophorum adscriptus commissam sibi professionem artis poëticae adiit et collegis suis ita placuit, ut eodem adhuc anno Decanatus honor in eum conferretur. Quo honore ut dignum se praestaret, praeter artem poëticam et rhetoricam severiores etiam philosophiae disciplinas docere suum esse putavit, idque eo potius, quod non sine magno dolore videbat, frigere iam incipere studium philosophiae Aristeleo-Philippicae, proclamata nuper nova ac tum temporis sane stupenda ***Petri Rami*** doctrina, qui Aristotelis sententias ad unam omnes commenticias esse suo iure sibi videbatur posse contendere, multis quidem annuentibus, omnium maxime vero adversariis scholae Melanchthonianae applaudentibus. Ac cum Lipsiae institutum esset, ut in solemnibus Academiae conventibus a Professore poesëos provincia publice dicendi susciperetur, Bersmanus etiam huic officio ita usque respondit, ut sermone, sive soluto sive metrico perorans, eloquentiae effectum assequeretur i. e. audientium approbationem. Testimonia typis expressa exstant, non solum carmina, sed etiam orationes, quarum doctissimam eam esse iudico, quam anno MDLXXV edidit de dignitate et praestantia poëtices i. e. antiquissimae philosophiae. Quae quidem oratio quasi cxpositio uberior locorum Ciceronis eorum est, quibus ille poëtis palmam omnis elegantioris doctrinae tribuit asseverando, e doctis antiquissimum genus esse poëtarum, a quo omne dicendi genus, omnes exellentiae et pulchritudines sermonis, numerisque ac

versibus complexa oratio manaverint*). Mirari se dicit orator, quod audiat, nonnullos, neque malos illos quidem, neque contemnendae auctoritatis homines reperiri, qui cum philosophiam suis ad coelum extollant laudibus, poëticen tamen, ipsam divinarum et humanarum rerum interpretem morumque et vitae magistram, aspernentur. Fugisse nimirum illos perhibet, quod res sit, eosdem olim fuisse poëtas et philosophos: neque attendere illos, quod ex Platonicis quidam magni nominis asseveraverit, poëticen ipsam nihil aliud esse, quam philosophiam, tempore quidem vetustam, compositione autem numeris concinnam ac sententiâ fabularum involucris abditam. Sed ut etiam eloquentiae Bersmani aliquod exemplum afferatur, audiamus ipsum ita id argumentum persequentem:

„Quid est in universa philosophia, cuius appellatione omnis optimarum rerum cognitio atque in iis exercitatio contineri existimatur, quod non a poëtis magis ornate atque enucleate, quam ab iis ipsis, qui sapiendi sibi scientiam una cum nominis *τῶν σοφῶν ἢ φιλοσόφων* usurpatione arrogarunt, explicatum pertractatumque sit? Namque, ut initium faciamus a rebus divinis, qui obsecro inter ethnicos primi docuerunt homines, non modo Deum esse aliquem, sed eius etiam numine ac providentia mundum regi ac gubernari: ab eo Solis et lunae reliquorumque siderum circuitus, mutationes temporum rerumque vicissitudines et ordinem conservari: ab eodemque omni animantium generi vitae et lucis usuram concedi: commoda, quibus fruuntur homines, impertiri, bene merentibus praemia constitui, ac sontibus poenas irrogari? Quod si veritati testimonium perhibere malimus, quam, quod res est, inficias eundo falso diffiteri, hanc antiquissimo e doctis generi,

*) cf. Cic. Tusc. qu. I, 2. 3. et laudatissimum illum locum orationis pro Archia poëta c. 8.

poëtis inquam, laudem oportet tribuamus. Iam quod ad humanas attinet disciplinas, quid, quaeso, est in naturae obscuritate, quid in vita atque moribus, cuius non expressa scientia, nedum adumbrata opinio in poëtarum libris repraesentetur? Quae vitae oeconomicae, quae privatae, quae civilis munera atque officia his ipsis magistris et doctoribus non sunt promulgata? Quis philosophorum, qui poëtis, ut aetate, ita doctrina inferiores, pari splendore atque efficacia honesti pulchritudinem vitiorumque deformitatem ob oculos posuit, atque in theatrum produxit? Quis plura ex omni antiquitate virtutum exempla, quis maiores rerum commutationis fortunaeque varietatem posteris exhibuit? Quis hominum clarissimorum facta iustioribus ornavit elogiis, ac memoriae consecravit sempiternae? Quis, ut paulo longius abeamus, olim in agris homines dispersos, ac bestiarum more passim vagantes victuque ferino vitam propagantes in urbes compulit: inque populi coetum, sive multitudinem, iuris consensu et utilitatis communione sociatam coactos, humaniore expolivit cultura, et ad vitam traduxit mansuetiorem? Nihil me amori poëtarum indulgere, nihil gratiae tribuere, sed quod res est eloqui, fidem fecerit, quod de Orpheo literis proditum legitur, eum Thracum gentem feram apprime et immanem ad humaniorem et civiliorem vitae rationem convertisse. Quod item Horatius de eodem attestatus est versibus hisce pulcerrimis:

Silvestres homines, sacer interpresque Deorum,
Caedibus et victu foedo deterruit Orpheus,
Dictus ob hoc lenire tigres rapidosque leones.

XIII.

Iam vero, ne libellus noster ultra fines excurrat propositos, revocetur narratio ad Bersmanum, qui doctae Minervæ et castis Musis cupidissime addictus fortiter adhuc pervicerat, ut Amoris sagittas repelleret, multorum exemplo confirmatus virorum doctorum, qui vitam solitariam degebant, coniugium studiis impedimento esse rati. Atqui Lipsiae erat puella honestissima et suavissima *Magdalena*, Petri *Helborni*, Theologiae Doctoris et Professoris modo defuncti filia, quae „flammeolis ocellis suis“ Bersmano nostro tantos ignes iniecit, ut mutato prorsus animo eam sibi uxorem posceret. Ac mater vidua quum Bersmani integritatem et pietatem probe cognitam haberet, eumque, ut virum studiis et honoribus clarum, filiae suae apprime acceptum esse videret, postulato eius libenter cessit. Ita Bersmanus, aetate iam ad annum tricesimum septimum provectus, sponsam suam Magdalenam, floridam sane ac teneram, anno MDLXXV in matrimonium duxit nuptiis die septimo mensis Februarii non sine laeta multorum eorumque optimorum gratulatione celebratis, addito etiam ab amicis hoc bono omine:

Nascatur similis Bersmanulus ore parenti
  Ingenii clarus dexteritate puer.
Nascatur caram referens Magdalenula matrem
  Et formam et mores, femineumque decus.*)

---

*) In primo tomo poëmatum Bersmani decem leguntur carmina, nuptiis illius celebrandis a praestantissimis viris (Adamo Sibero, Michaële Barth, Ioanne Posthio et aliis) composita, e quibus ea, quae de Magdalenae honestate, pulchritudine et aetate florente supra dixi, depromta sunt.

Neque umquam illi, quod matrimonium iniisset, poenitendum fuit, quandoquidem alterno amore et suavissima concordia cum uxore coniunctus et subinde liberis quoque auctus, vitam suam domesticam tam feliciter efflorescere vidit, ut, qui modo coniugii contemtor esse videretur, idem iam duobus annis post aliis illud ipsum commendaret. Quod quidem fecit in praefatione, quam ad Claudii Baduelli librum „de ratione vitae studiosae in matrimonio collocandae ac degendae“ scripsit. Accessit ad hanc felicitatem domesticam, quod Simon ille Stenius, qui tum etiam Professor Lipsiensis erat, aliquot annis post *Rebeccam Helborniam*, sororem uxoris Bersmani, matrimonio sibi adiunxit, unde evenit, ut qui studiis et amicitia a pueris iuncti essent, affinitate etiam iungerentur. „Nupta est Rebecca Stenio, ita Bersmanus iubilat in carmine epithalamio,

Illinc virorum sardonix, hinc margarita virginum,
Autore quis haec perneget coelo coire foedera?

Praeterea quae de felicitate piorum coniugum sentiebat, hac indicavit Psalmi centesimi vigesimi octavi descriptione:

O ter beatum, qui timet
Toto Iehovam pectore,
Neque ipsius de semita
Errore flectit devio.

Te dexterae labor tuae
Pascet, favore numinis:
Rerumque, quas geris, tibi
Secunda cedent omnia.

Te vitis instar, prodigo
Coniux beabit germine,
Domum ambiente et fercula,
Quales olivae termites.

Haec nempe vitae commoda
Manent timentem numinis,
Haec inter ipse gaudia
Aevum beatus transiget.

Largitor ille munerum
In te Sionis e iugo
Imbrem bonorum depluet,
Largo benignus flumine.

Ut pacis almae commodis
Urbem fruentem et sospite
Domum Israële innoxiam,
In terna cernas saecula.

XIV.

Florentissimis ita rebus suis domesticis tamen doloribus et curis supersedere ac quasi in portu securo tranquillam vitam degere ob gravissimas causas ipsi non licuit. Quum enim morte immatura, quam aliquot annis ante Georgius Fabricius obierat, iam satis graviter afflictus esset, anno MDLXXV multo gravius etiam accidit, ut altero patrono atque fautore suo, Ioachimo Camerario, morte privaretur. Quibus viris amissis non potuit non maerere ac lacrimans queri*) „spem suam iacere fractam“ cum illis, quorum uterque summum vitae sibi decus ac praesidium fuerat, quorum fidelissimis et amantissimis consiliis nisi adiutus fuisset, numquam sibi tantas et fortunae et dignitatis accessiones offerri potuisse recenti memoria tenebat. Nec non augebat animi tristitiam, quod cogitatione suarum etiam rerum movebatur, quibus eo serviendum erat, ut in demortui Camerarii munus academicus ipse iam succederet. Quod vero ne ipsi contingeret, summa ope nitebantur scholae Melanchthonis adversarii, ad novas iras propterea excitati, quod Bersmanus in funere I. Camerarii hos a pectore versus fuderat:

*) Tecum fracta iacet spes mea, perstat amor! In haec verba desinit Bersmani carmen in funere I. Camerarii.

Felix morte tua, non tot portenta malorum,
Non hominum fraudes, nequitiamque vides:
Aequora qui terrae, qui miscent aequora coelo,
Christicolis ne quis restet in orbe locus.
Non crassa errorum volvi caligine mundum,
Et sublime nefas stare, iacere bonos.
Ingenium sordere, asino simulante leonem,
Inflata vastum rana imitante bovem.
Doctrinaeque rudes, decus affectare cathedrae,
Artis dum meritum gratia, iusque terit.

Insuper ille „de I. Camerarii obitu immaturo bonisque omnibus et sapientibus luctuoso“ hos versus aculeatos emiserat:

Fraxinus alta iacet, nigri gaudete chelydri,
Quos Sala, quos Plissae turbidus amnis alit,
Et quos infidi rotat Albis fluminis alveo
Eheu quam dispar, dissimilisque sui!
Cerbeream pasti spumam, exultate colubri:
Vos abigens umbra fraxinus illa iacet:
Anguibus invisa, grata pastoribus umbrà,
Balantûmque simul cornigerûmque gregi.
Sed succus superest opifer, lugete chelydri:
Haud ulli vester mortifer ictus erit.
Parva loquor: patulis quae vobis frontibus arbos
Terror erat, plantae germine pestis erit.

Etenim sic sese res habebant tum temporis, ut qui primo Ienae consurrexissent in scholam Melanchthonianam odii fluctus, iidem iam Lipsiam advoluti, imo in Vitebergensem translati essent academiam, quam ob id poëta ut infidam suique dissimilem supra designat. Neque reticendum est, factionem Flacianorum magna ex eo incrementa cepisse, quod Philippistae (quo cognomine Melanchthonis asseclae signabantur) anno MDLXXI Catechesin et alia subinde scripta ediderant,

quibus, quae inter ipsos et Lutherum de sacra coena erat dissensio, in omnium oculos incurrit. Accessit, quod *Caspar Peucerus* medicus, gener Melanchthonis, aliique Philippistae, quorum maxima tum erat in curià Electoris auctoritas, eius quoque conlisii auctores fuisse putabantur, quo Augustus Elector anno MLDXXIII in Saxonia Vimariensi, cuius tutelam administrabat, centum circiter Flacianos munere se abdicare et exulare iusserat. Qua re quam maxime exacerbati antesignani huius factionis, Lutheri nomen prae se ferentes, classicum canere, aures principum personare, Electorem ipsum metu laesae fidei afficere et conscientiae angore sollicitare, nec declamitando in Melanchthonianos prius desistere, quam hos a formulis doctrinae evangelicae Luthero probatis longe recessisse, et ad castra Calvinianorum transiise illustrissimo Augusto persuasissent. Quo ubi res anno MDLXXIV pervenerat, tanta repente in curia Electoris commutatio sequuta est, ut Peucerus et alii, quorum fraudibus Princeps se deceptum esse putabat, in carceres coniicerentur, alii etiam Philippistae, quoniam formulis, doctrinam Melanchthonis proscribentibus, subscribere recusaverant, relegarentur.

XV.

Quae cum ita inopportune caderent, etiam Bersmano nostro omnis spes ademta esse videbatur, fore, ut suffragatione curiae electoralis, Philippistis alienissimae, in ampliorem gradum proveheretur. Attamen Summus rerum omnium Moderator, quem sicut rivos aquarum, ita principum animos regere scriptura sacra confirmat, Electoris quoque animum

ita direxit, ut is Bersmanum, quem a puero tamquam gratiae suae alumnum foverat et cuius laudatam doctrinam sibi quoque in laudis loco ponere solebat, non tum quidem destitueret, sed mandato suo senatus academici consultum ratum faceret, quo ille dignus declaratus erat, qui in locum I. Camerarii surrogatus professionem Latinarum et Graecarum literarum simulque ethices Aristoteleae obtineret. Quam acceptam Bersmano palmam dum adversarii invidebant dentibus infrendentes, amici undique gratulati sunt laetitia exsultantes, ut videre est ex epistolis, utrique tomo poëmatum Bersmani annexis, quarum unam Ludovicus etiam Camerarius, qui illo tempore Norinbergæ magna famae celebritate medicinam artem exercebat, hunc in modum scripsit: „Iam dudum me ad te scripsisse oportebat, sed deerat scilicet mihi, argumentum utroque dignum: quod nunc mihi oblatum esse, et mihi vere gaudeo et tibi ex animo gratulor. Tibi enim obtigisse eum locum in Academia vestra, quem post obitum patris mei carissimi semper tacite mecum tibi exoptavi, non est, cur non mihi gaudeam. Te autem non solum te ipsum sed adversarios quoque tuos vicisse, cur non est, quod non tibi gratuler? Macte animo, mi Bersmane. Hic honor tibi debebatur, invitis etiam omnibus, qui viam ad illum tibi turpissime praemunire, non nisi tribulis, et sentibus (quibus ipsi non modo laesas manus, sed animos foedissimo invidiae stimulo vulneratos reportarunt,) voluerunt. Gaudeamus nobis, mi Bersmane gaudeamus nobis. O si tecum essem, vel si tu mecum iam esses; certe manu candida cantharum dulciferum propinare tibi vellem, amicissimam amicitiam scilicet, ut ille apud Comicum inquit. Verum hoc aliquando alicubi, aliquo modo denique fiet. Nunc tibi gratulor, nunc, nunc illud est, quod nasutulos quosdam, turgidulos, ruffulos, atque invide invidos mordere potest. Ignosce, quaeso, incompositae meae

orationi. Vix sum apud me, ita gestio tibi honorem hunc gratulari. Ex animo liquide amico omnia haec proficiscuntur.“

Ipse vero Bersmanus quam laetus ac contentus occupata hac provincia literas docebat, apparet ex his, quae mense Aprili anno MDLXXVI ab eo scripta reperio*): „Ego me ab ineunte aetate optimarum artium disciplinis deditum fuisse neque inficior, neque huius me cum Musis commercii adeo poenitet, ut provecta iam nonnihil aetate, in ista scholasticae humilitatis tenuitate atque obscuritate non consenescere malim, quam si possim atque in promtu sit, nunc demum me quasi retexere, atque consectari incipiam vitae genus et splendidum magis et fructuosum. Ceteros poeniteat, qui vel ambitione turgidi, vel pecuniae cupiditate inescati, aliis quam sibi vivere malunt, id est, ea amplecti studia, quibus in honorum et dignitatis fulgore et rei lautae ac fortunarum splendore, noti nimis omnibus, ignoti moriantur sibi, secundum Senecam: imminentibus praesertim, in ista, quae ante oculos interque manus est, fatali rerum omnium conversione, maioribus indies periculis vitae honoratae et negotiosae. Neque vero est, quod suspicetur aliquis, me aut solitudinem ac desertionem humanae societatis approbare, aut illorum improbare institutum, qui sapientiam suam, prudentiam, intelligentiamque ad rempublicae utilitatem et vitae communitatem conferunt: sed illorum hoc a me non dictum, sed responsum est insolentiae, qui literas humaniores despiciunt, ut exiles nimis et humano generi parum utiles: non advertentes in illa fastus sui ignorantia et arrogantiae caecitate, cum eos, qui his essent dediti, erudiisse multos, quo cives evaderent meliores, rebusque suis publicis utiliores, tum illos ipsos, qui se rationi civili totos

*) In epistola ad Ioannem Posthium data.

addixêre, quicquid ad rempublicam commodi attulerunt, id omne doctrinae liberalis institutioni ferre acceptum."

XVI.

Eodem anno MDLXXVI Bersmanus, bono novi muneris quasi auspicio, carmina sua in unum volumen colligenda curàvit, et clarissimo amici sui *Ioannis Posthii**) nomine inscripta edidit. Namque Posthius, cuius nomen ob laudatissima poëmata per universam Germaniam celebre erat, haud ita multo ante Bersmano propter carmen in I. Camerarii funere laudem optimi poëtae tribuerat, eumque ut plures ingenii sui felicissimi foetus emitteret, additis rogaverat hisce verbis: „Valde mihi probantur carmina tua: valde iis delector: neque me hoc auribus tuis dare existimes: revera ita sentio, te inter Germanos poëtas nostri temporis esse omnium suavissimum et doctissimum." Idem alii iudicaverant viri clarissimi, quorum e numero G. Fabricius et I. Camerarius Bersmano iam adolescentulo auctores fuerant, ut eos versus, quos in Academiae conventibus recitaverat, publicae famae committeret. Ita vero quum semel alea iacta esset, rogantibus amicis alia quoque poëmatia foras dederat, epithalamia praesertim et carmina gratulatoria, nec non psalmos aliquot, quibus fautorum et amicorum honori inserviret. Neque tamen animus ei fuit, illa et quae praeterea composuerat carmina in publicum edere omnia,

*) Ioannes Posthius, Iulii ducis et episcopi Vvirceburgensis archiatrus „Parerga poëtica" ediderat tanta cum laude, ut anno MDLXXVII ab imperatore Rudolpho II. laurea poëtica donaretur. Obiit anno 1597. v. M. Adami librum de vitis Germanorum medicorum p. 331.

quoniam aliorum iudicia extimescenda esse putabat de iis, quae suo ipsius iudicio haudquaquam satisfacerent. In mente enim Bersmani insidebat species pulchritudinis eximia quaedam, poëtarum veterum exemplis informata, quam intuens sua iudicabat esse poëmata „facta non facta, perfecta imperfecta.“ Imo tam severam ipse carminum suorum censuram agere solebat, ut ea ne aequalium quidem scriptis aequiparanda, multo minus elegantem illam vetustatem sapere sibi viderentur. Erat autem Lipsiae Magister artium, Laurentius Finkelthusius, qui cum Bersmani observantissimus esset, neque de carminibus edendis eum ipsum cogitare videret, ultro editionem praeparare coepit colligendo ea, quae inter chartas Bersmani iacebant dispersa atque confusa. Quod ubi Rector Adamus Siberus, Bersmani affinis idemque poëta comperit, novos literis Bersmano adiecit stimulos et tandem ab eo impetravit, ut carmina sua typis exprimenda traderet. Expressas vero Bersmanus, ut supra iam diximus, ad Ioannem Posthium misit addita epistola politissime scripta*), in qua probe quidem se scire affirmat, quod ab Euripide**) monitum sit, non carere stultitiae reprehensione eum, qui de sua inopia aliorum locupletare studeat copiam: nihilominus se, ut amico honoratissimo propensam voluntatem declararet suam, id fecisse. „Tibi,“ ait, „mi Posthi, carminum copia affluentissimo, versuum meorum exiguum offero munusculum, Poëtaster ipse pauper et ieiunus, tibi poëtae luculento et copioso. Etsi autem munusculum istud neque specie est praeclarum neque

*) Ex haec epistola dedicatoria ea quoque cognovi, quae de Bersmani modestia uberius supra retuli.

**) Respicit Bersmanus illos versus Euripidis, quibus Archelao respondisse ille perhibetur:

οὐ βουλομαι πλουτοῦντι δωρεῖσθαι πένης,
μή μ' ἄφρονα κρίνης, ἢ διδοὺς αἰτεῖν δοκῶ.

elaboratione dignum excellentis ingenii tui: tamen cum ab homine amico et tui observantissimo proficiscatur, gratum id tibi, ut spero, accidere patieris, et ad alios, quorum censurae et animadversionis severitati minus satisfaciet, ita defendes, ut in iis, quae adolescens lusi, iudicii maturitatem mihi defuisse dicas: ad ea, quae aetate paulo firmiore composui, otium ad elaborandum non concessum esse respondeas."*)

XVII.

Interea Bersmanus professioni suae summa fide et industria ita praeerat, ut in literis tradendis ad ostentationem nihil, ad utilitatem et fructum revocaret omnia. Recte enim iudicabat, literas per se inanes esse, nisi ad vitam et ad humanitatem admoverentur. Quod ni fieret, quem possent illae sapientiorem, quem iustiorem, quem fortiorem, quem liberaliorem reddere? Itaque „Spartam suam non tam *κομψὰ* quam *χρήσιμα* (quod de Epicharmo alias dicitur) neque subtilia magis, quam utilia tradendo egregie ornavit, minime obscure cum vim acumenque ingenii et doctrinae copiam, tum acris et subtilis iudicii facultatem et memoriae praestantiam, rerumque experientiam declarans."**) Quo sapientiae verae studio dum comprobationem intelligentium ac bonorum appetebat, non item

---

*) Haec prima carminum editio ita inscripta est: „Poëmata Gregorii Bersmani, Annaebergensis in libros duodecim divisa. Lipsiae. Cum Privilegio." Praefationi annus additus MDLXXVI. Comprehenduntur in ea: Carminum liber I. Epithalamiorum libri IV. Encomiasticorum libri II. Epicediorum libri II. Tumulorum liber I. Elegiarum liber I. Lusuum liber I.

**) Ita Melchior Adamus l. c.

cavisse videtur, ne liberiori, quo uti solebat, sermone invidis et malitiosis latus daret. Quamquam nihil tam probe et tam provide dici potest, quod non vellicare malignitas possit. Ac tantus tum erat factionum furor, tanta morum exinde depravatio, ut vel optimi malis artibus exploratorum et delatorum obiecti essent. Quam ob causam dissimulare, tacere, ferre, plerisque adeo necessarium videbatur, ut suam de iis, quae publice fiebant, sententiam ne literis quidem ad familiares mandare auderent: cuius rei *Iacobus Monau*, Patricius Vratislaviensis*), testis est his ad Bersmanum datis: „De republica nihil vel ipse scribo, vel abs te scribi cupio. Desiit hoc genus literarum inter amicos: et saepe nobis nunc est usurpandum illud, quo Philosophus usus est: *ταῦτα οὐκ ἔστὶ ἐπιστολικά.*" Rara igitur tum erat illa ingenuitas, qua Bersmanus et dictis et scriptis censuram agebat temporis, ingratissimi scilicet in Melanchthonem et alios de ecclesia et republica optime meritos, quorum memoria et fama ab innumeris petebantur calumniatoribus, virtutis illorum fulgore excaecatis. Sed pauci erant, qui hunc Bersmani candorem laudarent, multi, qui vituperarent eum propter vehementiam. De quo ille ipse haec ad Posthium suum retulit: „Dicam tibi, quid res sit, ac vere dicam, quam necessarii illi mei interpretentur animi vehementiam. Est genus hominum, qui esse primos se omnium rerum volunt, nec sunt, ut Comici verbis utar: istos quia adorare ego detrecto, mandati divini reverentia, quod vetat Deos praeter unum alios habere ullos: ego sum ille ferox, agrestis, saevus, truculentus, *δύσερις τε καὶ ἀσύστατος.* Atque hoc nomine non apud privatos modo,

*) **Iacobus Monau**, Bersmani amicus, scholae Melanchthonianae alumnus, non modo literarum omnium, sed etiam virorum doctorum tam studiosus erat, ut nemo tum esset paulo celebrior vel Theologus, vel Iurisconsultus, vel Medicus, vel Philologus, in cuius ille amicitiam non irrepserit. Obiit Vratislaviae anno 1603.

amicis istis meis falso me criminantibus, male audio, verum etiam hoc ipso crimine, iisdem deferentibus, apud proceres non raro insimulor. Sed haec Deo scilicet committenda sunt, qui confundet aliquando os calumniantium et meam proferet innocentiam.“ Idem vero, qui sanctissimum Deum sibi testem habebat innocentiae suae, nocentissimus videbatur iis hominibus, qui theologorum Lutheranorum nomine etiam ius sibi putabant datum esse condemnandi omnes a se dissidentes. „Hoc genus hominum prophetas occidit, et vos poëtae cavete, in quorum versibus Melanchthon et Camerarius laudantur.“ Ita scripsit I. Sturmius, Argentoratensis, Bersmanum moniturus, quem et alius quidam amicus his verbis praemonuit: „Utinam, ne quid tibi a Theologis immineat periculi: certe enim tibi metuo, non quod te putem esse Calvinistam, sed quia te scio doctum et eruditum. Festucae sunt in oculis Theologorum huius temporis docti omnes: o saeculum invenustum et ineptum! ut non dicam aliquid gravius. Sed vivit Dominus, vincet Ecclesia et triumphabit temporis filia veritas!“ Neque ex vano fuit, quod amici ita metuerunt. Nam theologorum odium tandem effecit, ut qui tum fluctus in optimos quosque derivabantur, in Bersmani etiam caput redundarent. De quo iam plura mihi dicenda sunt, ubi de Formula concordiae, quae illum praecipitem tulit, pauca praefatus fuero.

XVIII.

Ab anno circiter MDLXX evenit, ut cum veteribus Philippistarum adversariis Flacianis alia quaedam theologorum Lutheranorum factio ad exstirpandam Melanchthonis doctrinam

se coniungeret. Factio haec erat ubiquitaria, ob eam causam ita dicta, quod eius asseclae dogma quoddam de ubiquitate i. e. omnipraesentia corporis Christi tuebantur, docentes, in Christo, vero deo et vero homine, alteram cum altera naturam „personaliter“ ita esse unitam, ut humana natura vel omnem divinae naturae maiestatem et potentiam sibi communicatam habeat, quo etiam fiat, ut corpus Christi ubique praesens, ergo in pane quoque sacrae coenae adsit. Quam utramque de reali naturarum in Christo communicatione et de ubiquitate corporis Christi sententiam quum Melanchthoniani ut novam improbarent et prodigiosam, hi ab istis Crypto-Calvinismi insimulabantur, quamquam non modo Calviniani, sed etiam Catholici Ubiquistarum commenta explodebant. Principatum factionis ubiquitariae occupaverat *Iacobus Andreae*, theologus Virtembergensis, qui ab anno MDCLXIX incredibili studio et indefesso labore omnes fere evangelicos Germaniae principes compellaverat, ut unitis viribus eas lites componerent et controversias, quae tam multis abhinc annis diversos agitabant theologorum animos et ecclesiam Lutheranam tristissime perturbabant. Cui laudabili pacis consilio auctoritatem suam addere parati quidem principes fuerunt omnes, sed de via, qua ad pacem perveniretur, non item omnes consenserunt, plurimis haec a Synodo generali diiudicanda esse censentibus, Iacobo vero Andreae aliisque suadentibus, ut nonnullorum tantum theologorum conventus institueretur, qui controversos doctrinae articulos diiudicarent, ac quid cum Lutheri sententia conveniret, quid minus, accurate docerent. At suppressa in Saxonia Philippistarum auctoritate Iacobus Andreae tandem, quo voluit, pervenit. Anno igitur MDLXXVI Electoris Augusti aliorumque principum auspiciis septemdecim selecti theologi Torgaviam convocati *Formulam concordiae* conscripserunt, in qua articulos controversos ita pertractarunt, ut cum in thesi

tum in antithesi eos secundum normam scriptorum potissimum Lutheri, *polemicorum**) aeque ac didacticorum, explicarent, scripta vero Melanchthonis tamquam suspecta, ambigua et fucata reiicerent. Praecipui, qui huic formulae conscribendae operas suas dicarent, extiterunt *Martinus Chemnitius*, ecclesiarum Brunsvicensium Superintendens, *Nicolaus Selneccerus*, Pastor et Professor Lipsiensis, et ille, quem iam nuncupavimus, Iacobus Andreae, quorum triumvirorum auctoritate factum etiam est, ut in illa formula Melanchthonis de sacra coena et de persona Christi doctrina expresse damnaretur, contra vero nova ista, quibus ipsi inhaerebant, dogmata ubiquitaria quasi sancta et antiqua traderentur. Atque haec causa fuit, cur non solum Melanchthoniani, sed etiam multi ex ipsis Lutheranorum severiorum partibus nomina sua illi formulae dare ad eiusque normam se adstringi detrectarent, cum principes tum theologi. Auctores vero formulae Torgensis, ne gravissimis quidem aliorum censuris cedentes, effecerunt, ut anno MDLXXVII in Saxonia et in Marchia Brandenburgica approbatio et subscriptio illius formulae, neque a synodo examinatae, neque satis iuste emendatae, publico Electorum mandato a Theologis peteretur. Idque actum est non tam rationibus, quam vel promissionibus, vel minis, quibus commoti et Professores academiarum et Pastores subscripserunt plurimi.**) Qui non responderunt pro Ubiquitate neque illi formulae subscribere voluerunt, Sacramentarii proclamati, ad

---

*) Scripta Lutheri polemica liquidas veritatis fontes esse, quis existimet, qui illum ipsum vanitatis arguere nolit confitentem, saepe se nimium fuisse in adversarios. Omnino non ex personis veritas, sed ex veritate personae iudicandae sunt, ut recte monuit Tertullianus.

**) Propositae iis sunt quaestiones inquisitoriae, ad quas iubebantur respondere simplici affirmatione aut negatione, ne res ad disputationem veniret. Pastoribus autem ab ipsorum uxoribus inculcatum erat: „Schreibt, lieber Herre, schreibt, dass ihr bei der Pfarre bleibt." De modo, quo, ut subscriberent, cogebantur v. Planck protest. Lehrbegriff VI. pag. 559.

proscriptionem vel ad carceres condemnati, a munere denique remoti et loco suo expulsi sunt. Cui tristissimo fato etiam noster tandem succubuit Gregorius Bersmanus, ad quem ut narratio redeat, tempus monet.

XIX.

Dum igitur *Iacobus Andreae* cum sociis cuncta in ecclesia Saxonica pro arbitratu suo agebat et quasi praetoria lege ac potestate eos condemnabat, qui in verba formulae suae iurare recusabant, Bersmanus noster, scholae Melanchthonianae constans ac strenus defensor, eo maiore in discrimine versabatur, quod Nicolaus Selneccerus, Iacobi Andreae armiger et consiliorum eius studiosissimus minister, infestissimo in ipsum animo usque adhuc sese dederat. Namque Selneccerus praestantissimus erat e numero illorum transfugarum, qui mutato tempore animum mutantes castra Melanchthonis reliquerant, ut iam adversarios ad opprimendos eos, qui olim sui fuerant, adiuvarent. Quare exemplum constantiae Bersmani, sibi Pastori Lipsiensi ante oculos propositum, cum magno suo pudore animadvertebat, necnon conscientia sua admonitus sibi dicta putabat esse, quae Bersmanus quacunque occasione oblata in ore habebat de iis, quibus iam honorifica nominis Melanchthoniani usurpatio fraudi esset, „ingratis scilicet discipulis, qui doctrinae uberrimae nectare a Philippo imbuti, doctorem optimum, sicut matrem pullus, postquam lacte saturatus sit, calcibus impeterent“*). Iam vero huic

*) Verba Bersmani v. Praefationem Georgicorum Virg. Tom. I. — Philippus Melanchthon, cuius naevi omnes ubertate caritatis obtecti erant, ut de Cypriano Augustinus laudavit, Selneccerum quoque discipulum amicitia, imo contubernio suo

Selneccero cum Iacobo Andreae et aliis commissa erat academiae Lipsiensis de Formula concordiae inquisitio. Qua instituta Professores, dictis illorum obedientes, subscripserunt omnes, uno excepto Bersmano nostro, qui ea de re haec consignavit: „Cur unus ego ex professoribus ordinariis, neque actate neque auctoritate cum ceterorum plerisque comparandus, catalogo illi virorum obscurorum nomen dare meum recusaverim, huius rei causas graves et idoneas, quas habui, exposui tum Illustribus Commissariis, inter quos etiam erat Nanus iste*), cuius animum rationes, in consessu illo a me allatae, adeo perculerunt, ut Vitebergam ad gregalium suorum quendam perscriberet in hanc sententiam: *Apud nos Professores omnes absque recusatione subscripserunt excepto Bersmano, cum quo collocuti sumus per horas tres, cum dispendio valetudinis meae.*“ Causam nimirum recusatae subscriptionis Bersmanus eam potissimum habuit, quod toto pectore Melanchthonis doctrinam amplectens et ab ubiquitario dogmate, rationi pariter ac scripturae s. contrario, abhorrens subscribendo conscientiam suam laedere, simulque in sanctos

---

dignatus erat. Selneccerus vero tantum Melanchthonis admiratorem se praestiterat, ut in libro recitationum suarum scripserit: „Qui Philippum non agnoscit praeceptorem, eum necesse est, merum esse asinum et beanum superbissimum. Unus Philippus nobis sufficit, nec indigemus novis monstratoribus.“ Inprimis Melanchthonis „Locos communes“ maximi fecerat et post Biblia meliorem librum non extare asseveraverat. v. Feustking Hist. lev. p. 32.

*) sub Nani persona latet Nicol. Selneccerus, quem ob corporis brevitatem Bersmanus ita designat. De eodem in secundo tomo poëmatum hoc epigramma legitur: „Das Doctorlein mit den klein Beinlein.“

Cum tibi vix totus sit pes procerior ulna,
Cur Nanum dici te, Selenecre, doles?
Ingenio qui te vanum, qui corpore nanum
Finxerat, haud causam nesciet ille suam.
Ast ego non nanum modo, te, sed iudico monstrum
Corpore, doctrina, moribus, ingenio,
Sed Satanae monstrum: qui cum transire figuras
In cunctas possit, proditur ungue suo.

Melanchthonis manes dirum nefas admittere sibi videbatur. Nam contra rationem nemo sanus, contra scripturam nemo christianus sentit, et contra conscientiam nemo probus quicquam dicere, vel facere solet, ut auctor est pius Augustinus. Sed rationes afferentibus, quare dogmata Formulae multa probare non possent, Andreae et Selneccerus simpliciter se non discendi, sed docendi causa venisse respondere solebant, ac si quis reprobatae in illa Formula Melanchthonis doctrinae gravem mentionem faceret, dicere non verebantur, „Philippum quidem studiis philosophicis et literariis multum profuisse, sed secus esse in theologicis: „sic Salomonem scripsisse multa spiritu prophetico et tamen in senecta prolapsum in idiolatriam, ut salus ipsius in dubio sit"*). Caverunt tamen inquisitores, ne recusatae subscriptionis poenam a Bersmano, Electoris favore munito, protinus sumeret, sed incolumen eum dimiserunt. Et incolumis idem statu suo mansit, donec anno MDLXXX mense Iunio formula Concordiae cum ceteris ecclesiae Lutheranae symbolis ea lege publicata est, ut, tamquam imperatrix religionis, regnum teneret ne homini quidem, nedum Christiano tolerabile. Tunc demum propter perpetuam illius formulae repudiationem Bersmanus loco et munere professionis publicae remotus est,**) ea tamen ab Electore data venia, ut in urbe Lipsia manere ipsi liceret. Quod cum molestissime ferrent Iacobus Andreae et Selneccerus, hostili animo quaesiverunt, quo Bersmanum in eam necessita-

*) v. Hospiniari librum „Concordia discors" fol. 184. Quam temerarium vero fuerit tale illorum, qui Lutheri nomine se iactabant, iudicium videas ex his ab ipso Luthero ita de Philippo suo scriptis: „Philippi positiones vidisti aut nunc vides audaculas, sed verissimas. Ita respondit, ut omnibus nobis esset id, quodest, scilicet miraculum. Si Christus dignabitur, multos ille Martinos praestabit, diabolo et scholasticae theologiae potentissimus hostis. Novit illorum nugas simul et Christi petram; ideo potens poterit „Amen". cf. Luth. ep. Tom I. p. 210.

**) id quod etiam Simoni Stenio, Bersm. affini accidit.

tem adducerent, ut prohibitus iis, quae sibi suisque ad vivendum suppeditarent, ultro Lipsia cederet. Itaque huic misero omnem cum publice tum privatim docendi potestatem intercluserunt eo, quod effecerunt, ut praeceptores quoque privati, vel paedagogi ad subscriptionem Formulae Concordiae cogerentur, „quam illi numquam pellegerant ac ne comparare quidem propter egestatem poterant.“ Imo eo inhumanitatis illi duumviri processerunt, ut Bersmanum cum uxore et liberis, gravida quidem illa, ex aedibus, quas Collegium Lipsiense pensione anua ei locaverat, eiicerent*). Quae cum ita essent, excusanda saltem videtur illa verborum acerbitas, qua Bersmanus, quotiescunque res occasionem dedit, Iacobum Andreae et Selneccerum petiit, nec non in Formulam Concordiae invectus est, qua illi instrumento usi sunt non modo suae, sed aliorum etiam multorum miseriae. Quod vero a dogmate ubiquitario abhorrens doctrinam de Christo in illa formula traditam reiecerit, id excusatione eget nulla, nisi apud eos, qui nostro quoque tempore ultra scripturam sapiunt. Ii vero viderint, ne subtilibus theologumenis inhaerendo simplicem veritatem amittant, neve humanis auctoritatibus nimium tribuendo divinum Christi honorem detrectare ac ambitiosi suae famae studii ab illa subtilitate praesidium quaerere videantur. Bersmanum vero nostrum divino Christi honori aliquid derogasse, quis putet, qui infucata eum fide cognoverit amplexum esse Christum, verum deum et verum hominem,

Virginei prolem partus, summique parentis,
In cruce quem nostro pro crimine funera passum,

---

*) v. praef. tomi II. poëmatum, et carmen, „Tumulus Iacobi Andreae Apostoli Ubiquitatis“, in quo tanta hunc inhumanitate fuisse legitur,

Ut gravidam erueret tenero cum palmite vitem,
Quem dextra Christus severat ipse sua.

Demersum nostrae, sub avitae pondera noxae,
Redderet ut vitam cunctis, poenamque levaret,
Quem penes est omnis terraeque marisque potestas,
Quem coelum supplex veneratur, Tartaraque horrent,
Cum patre, maiestate pari, cum Flamine sacro!*)

Ac de praesentia Christi in sacra coena quis erroris vel impietatis insimulare eum audeat ita sentientem:

Christus et ipse suo praesto est cum corpore coenae,
Corporis ut faciat nos quoque membra sui:
Insertosque sibi gestet, non carnis adhaesu,
Sed proprii nexu flaminis atque fide.
Numina Pontificis furnacea mundus adoret,
Me tibi cum Paulo credere, Christe, iuvet.
Horum qui stultum ducit subscribere verbis,
Nil moror, hoc dicar iudice stultus ego.

XX.

Tantam post brevem fortunae favorem rerum suarum vicissitudinem expertus, Bersmanus ea in urbe, in qua modo gratia, auctoritate et gloria floruit, nunc tecto ac cibo prohibitum se vidit. Sed res adversae viros fortes explorant, et fortem sane ille se praestitit literarum studiis innixus, „quae quidem secundas res ornant, adversis perfugium ac solatium praebent, delectant domi, non impediunt foris: pernoctant nobiscum, peregrinantur, rusticantur.“ Idem, qui his ornatissimis verbis laudem literarum pariter ac suae eloquentiae

*) versus, e variis Bersmani carminibus de Christo excerpti.

gloriam consignavit, Marcus Tullius Cicero, laudat alio loco illud Catonis, quo censuit clarorum virorum atque magnorum non minus otii, quam negotii rationem exstare oportere. Id ab illo praecipuis in republica viris praeceptum, Bersmanus iis quoque censebat praeceptum, quibus in mediocribus locus concessus esset, imo ad unumque hoc pertinere, qui vitae civilis communitate contineretur. Quod cum ita sibi persuasum haberet, eandem regulam ad se suaque studia accomodare non dubitavit, nec alienum ab officio suo duxit, illud otii, quod vacatione a munere publico ipsi, sane invito, acciderat, ita collocare, ut eius rationem reddere posset ad quoscunque literarum aestimatores et iudices. Quapropter Bersmanus, ut qui potissimum se Musarum ministrum confitebatur, de Musarum copia aliquid ad usum communem conferre cupiens, in praestantissimorum poetarum veterum carmina denuo recensenda, illustranda et edenda operam suam contulit.

Ad primum quidem *Virgilii Maronis* editionem adornavit, quem poetam, Latinorum Homerum et poetarum Platonem, elogio satis digno praedicare neminem, nisi Maronem ipsum, posse, in praefatione perhibet hisce additis: „Nam si qua est facultatis poeticae non modo humana, sed etiam divina commendatio, ea in Virgilio tota se ostendit, ut natura, quae nihil in aliquo genere omni ex parte perficere atque cumulare solet, ne scilicet, quod ceteris largiatur ei non suppetat, in hoc consuetudinis suae oblita videatur uni omnia tribuendo." Quum autem, ut typographi rationibus se accomodaret, Virgilii carmina uno tantum volumine complecteretur omnia, in angustias scholiorum marginalium cogendae erant annotationes, quas ex doctissimorum virorum commentationibus et emendationibus congesserat. Neque tamen desideratur, quod sua ipsius industria addidit, non modo de locorum difficilium explicatione, sed etiam ad varietatis lectionum consignationem,

quam ex veteri manuscripto, cuius ipsi copiam Ludovicus Camerarius fecerat, diligenter in hanc editionem retulit.*)

Absoluta hac Virgilii editione, aliis, quae tum exstabant, multo praeferenda, Bersmanus eodem anno ad *Ovidii Nasonis* opera se applicuit, in quibus, si non tantum difficultatis, non minus tamen, quam in Virgilio mendarum inveniri vidit. Neque ab hoc instituto eum deterruerunt quorundam de Ovidio iudicia non admodum honorifica: cum eiusdem poëtae carmina aliis viris praestantissimis apprime arrisisse sciret, quorum e numero Ioachimum Camerarium allegat, laudes Ovidii ita praedicantem: „Primum ingenii tanta vis, ac tam agiles tamque celeres motus, tam prompta facultas, ut in facili et extemporali genere nihil reperias, non solum quod scriptis illius anteferre, sed ne conferre quidem possis: nihil in illis sollicitum, nihil quaesitum, nihil anxium. Sententiis verba urgentur, verba sententias incitant.“**) Cui iudicio Bersmanus, quo diligentius ipse Nasonis lepidissima et canora poëmata retractaverat, eo certiori animi persuasione accessit, ita ut nulla restaret dubitatio, quin tantas Musarum amoenitates nova recensione publici iuris faceret. Atque ita quidem hanc editionem disposuit, ut in tres tomos omnia, quae extant, Ovidii carmina digererentur, praemisso per singulos libros argumento, et non modo adspersis ad marginem animadversionibus, quas hinc inde diffusas editor apiculae instar college-

---

*) Huius editionis, anno 1596 repetitae, in bibliotheca Dessaviensi asservatur exemplum, cui editor haec verba adcripsit dedicatoria: „Inclyto ac generoso Principi et Domino, Dn. Ioachimo Ernesto illustrissimo et laudatissimo Pr. Iohannis Georgii, Pr. Anhalt. com. Ascaniae, Dn. Servestae ac Bernb. etc. F. (filio) Ioach. Ernesti P. P. beatissimae usque memoriae Prs. N. (principis nepoti) Domino S. clementissimo Gregorius Bersmanus in significatiem subiectissimae voluntatis, studii atque operae D. D. — Claudian:

Gaudet enim Virtus testes sibi iungere Musas,
Carmen amat, quisquis carmine digna gerit.

**) cf. Operum Ovidii tom. III. in praefatione.

rat suisque ipsius notis auxerat, sed etiam subiecta ad calcem variarum lectionum collatione et locorum quorundam explicatione, uberiori, quam quae ad marginem commode adscribi potuerit. Ad emendationem textus maximo ipsi usui tres fuerunt codices manuscripti, unus Metamorphoseon, quem a N. Chytraeo dono acceperat; alter eiusdem transformationum carminis, quem ipsi affinis suus, Ad. Siberus, Rector Misnensis, utendum dederat; tertius, libros Tristium et Ponticas elegias et diras in Ibim exaratas continens, quem ipse Ferraria secum attulerat.*) Ceterum per se intelligitur, quod res est, a Bersmano iuventuti scholasticae nullum ex Ovidii operibus magis commendatum esse, quam egregium illud Metamorphoseon poëma, quod selectissimarum totius antiquitatis fabularum quasi penum quendam esse et sub fabularum involucris, tamquam sub pampinis uvas, gravissimarum rerum scientiam recondere ille censuit. Idem in praefatione huius carminis confitetur, „se perpetuam illam et numquam interruptam narrationum tam variarum connexionem satis mirari non posse, quodque poëta tam convenienter proposito suo**) a prima mundi origine ad sua usque tempora perpetuum carmen artificiosissime deducat.“

---

*) Hic codex Tristium etc. in thesauris Bibliothecae Dessaviensis repositus est. Literis iis, quae usu nobis receptae sunt, tenuioribus, scriptus, signa sane recentioris aetatis prae se fert. Bersmanus manu sua haec in fronte adscripsit verba dedicatoria: Illustriss° optimoque Principi ac Domino, Dn. Iohanni Georgio, Pr. Anhaltino — — in significationem subiectiss[ae] reverentiae, studii, operae ac servitii, partem hanc operum Ovidii postremam, manu exaratam, quam Ferraria secum attulerat anno O. R. MDLXIV, D. D. Gregorius Bersmanus Annaeberg. illustris gymnasii Servestani Rector et Professor, A. D. XXVII Febr. Iuliani, anno Christiani supra millesimum sexcentesimum IX, aetatis S. LXXI.

**) cf. Ovid. Met. I. v. 3. 4. Dî, coeptis —
Adspirate meis, primaque ab origine mundi
Ad mea perpetuum deducite tempora carmen.

XXI.

Interea dum Bersmanus rectae voluntatis sibi conscius per totum annum, quo ab officio publico ipsi vacandum fuit, ea studia tractabat, in quibus omnem fere aetatem contriverat suam, multas undique ab amicis accepit literas consolatorias. Sturmius, Argentoratensis, scripsit: „Gratulor tibi, mi Bersmane, constantiam tuam; doleo fortunam. Sed spero te non dolere. Meum consilium est, ut ad Herdesianum*) te conferas: ibi ubi eris, omnes consulemus, et deliberabimus inter nos, quid factu opus sit, ut tibi et uxori et liberis sit bene.“ Alius his Bersmani animum confirmavit: „Exprofessorem te nominas, cum principe loco doceas et propages bonas literas: non adiment hoc nobis, qui *ἀποσυναγώγους* factos mercede spoliant, ipsi opes, honores, imperia, vi, dolo habent: vicissitudo erit, cum Deo videbitur.“ Tertius aliquis eo modo consolatus est: „Tua, Bersmane, fortuna magnum dolorem nobis attulit, quem tamen id maxime levat, quod et sine culpa tua, quid culpam dico? imo cum laude magna, ea tibi accidat, et quod cum multis doctis et bonis ea tibi sit communis. Qua re non video, cur magnopere te consolari debeam, virum ea et eruditione et animi robore ac constantia. Quod nisi impedimenta domestica**) te retardarent, velis et quadrigis alio tibi migrandum existimarem, ut olim Phocenses factitarunt. Video enim istic fere ea geri, quae olim Ephesi, cum Hermodorus, duodecim tabularum interpres, inde pelleretur. Eadem hic idem genus hominum,

---

*) Christophorus Herdesianus, reipublicae Norimbergensis consiliarius intimus, Formulae concordiae acerrimus oppugnator, obiit anno 1595.

**) nimirum uxoris graviditas.

sacrum illud et barbarum, molitur. Quartus denique hanc consolationem adhibuit: „Spero, Bersmane, et ominor, *denuo tibi oriturum solem!* velim quidem istic (Lipsiae); certe alicubi erit.“

Nae ille non erravit hoc vaticinio. Nam sicut est in psalmis: „Micat in tenebris lux iustorum,“ ita nostro quoque evenit Bersmano, cui iam benigna Dei providentia portum paravit in principatu Anhaltino.

XXII.

Terras Anhaltinas tum temporis clementissimo regebat imperio *Ioachimus Ernestus*, Princeps aeque doctus ac pius, qui in illis Flacianorum tumultibus partes Melanchthonianas tuebatur, non oblitus scilicet, quam arcta et quasi sancta necessitudine pater ipsius ac patrui (inter quos etiam laudatissimus ille princeps *Georgius Pius* erat) cum Melanchthone coniuncti fuerant. Idem quum in ea doctrina, in qua educatus erat perseverare, nec pati vellet, ut in ditione sua dogmata ubiquitaria spargerentur, quae figmenta videbat esse, nulla neque Scripturae sacrae neque symbolorum receptorum auctoritate umquam probanda, nullis etiam verborum Iacobi illecebris*), imo nullis Electoris Saxoniae adhortationibus eo commoveri potuit, ut Formulae concordiae illustrissimum nomen suum daret. In qua animi sententia admodum confir-

*) I. Andreae Principem Anhaltinum iam anno 1569 de consilio suo Concordiae adierat. Quod quidem Princeps tum probavit; postquam vero intellexit, Iacobum Andreae apostolum ubiquitatis esse et eo intendere, ut scripta Melanchthonis proscriberentur, animum suum ita ab illo avertit, ut eum literis, illustrissimo suo nomine datis, ambitionis, falsitatis et omnis nequitiae incusaret.

matus est a theologis suis, quorum praestantissimus tum erat *Wolfgangus Amlingius*, ecclesiarum ditionis Servestanae Superintendens, excellentissimus scholae Melanchthonianae alumnus, gravis sane Ubiquitariorum adversarius, atque haud scio, an ingenii acumine et doctrina theologica illo tempore gravissimus*). Is, postquam in vicinis Saxoniae regionibus res eo pervenit, ut Formula concordiae non solum in Academiis, sed etiam in scholis tyrannidem occuparet, principi Anhaltino suasit, ut in urbe sua Servesta, vetri Soraborum metropoli scholam aperiret, in qua iuventus Anhaltina cum bonis literis imbui, tum ad sanctam religionem pro norma eius doctrinae, quae ex consensu Lutheri et Melanchthonis**) recepta erat, institui posset. Quod quidem consilium illustrissimo principi perquam placuit perspicenti nimirum, quantum e provehendis literarum studiis et propagandis receptae doctrinae sacrae seminariis ad rempublicam redundaturum esset utilitatis, et quum accederet, quod testamento iam *Wolfgangi* principis***) provisum erat, ut ex duobus scholis parochialibus Servestae unus isque illustris literarum ludus institueretur, Ioachimus Ernestus, pater patriae, hanc rem gravissimam ad optatum demum perduxit exitum. Iam vero dum de vi-

*) Wolfgangus Amlingius, cuius de vita et meritis aliud tempus erit fortasse dicendi, tantum abest, ut proinde ac de ecclesia Anhaltina meruit, a theologis nostris laudetur, ut a plerisque negligetur, a nonnullis etiam vituperetur. Cuius rei causam equidem non video aliam, nisi quod longe plurimi egregia illius viri scripta numquam attigerint. Ea legant prius, quaeso, postea vituperent, ne videantur non ex iudicio, sed ex odii cuiusdam praesumtione, vel partium studio iudicare.

**) Divisae his operae, sed mens fuit unica; pavit
Ore Lutherus oves, flore Melanthon apes.

***) Wolfgangus, Princeps Anhaltinus is est, qui in comitiis Augustanis, anno 1530 habitis, Carolo V. imperatori Confessionem Augustanam cum aliis tradidit. Post infelicem proelii Mulbergensis exitum Caesaris edicto proscriptus aliquamdiu in occulto latuit; postea restitutus principatu ultro se abdicavit et Servestae vitam degit. Obiit anno Christi MDLXVI., aetatis LXXIV.

ris doctis, qui ad literas in eo ludo tradendas vocarentur, agebatur, animi consiliariorum principis in clarissimum Bersmanum conversi sunt, auctoribus potissimum viris iis, qui ob Formulam concordiae recusatam exules, Servestae quasi in asylo degebant et honorifico ibi gaudebant hospitio, inter quos *Andreas Freihubius*, Theologiae Doctor, et *Bartholomaeus Schonborn*, medicus*), Bersmano coniunctissimi erant. Itaque anno MDLXXXI mense Augusto literare ad Bersmanum missae sunt, quibus, ut gymnasii modo aperiendi gubernationem suscriperet, invitatus est. Et quum Bersmanus vix a se impetrare posse videretur, ut ex altioribus academiae campis in pulverem scholasticum descenderet, Bartholomaus Schonborn haesitantem eius animum his confirmavit literis: Cum nihil hactenus responderis, visum fuit, hunc peculiarem ablegare tabellarium, ut de tua voluntate explorati aliquid mature cognosceremus. Etsi vero stipendii forte tenuitas deterrere te ab honestissimo proposito posse videtur, tamen non est tibi defutura bonorum virorum benevolentia et studium, in impetrando auctario. Nec dubito, te, philosophico animo praeditum, ita iudicare, recte faciendum esse, et praeclare merendum de aliis, etiam ubi praemiorum amplitudo non respondeat. Servestae die S. Galli." Hinc igitur Bersmanus die XVI mensis Novembris**) gymnasio Servestano operam suam condixit, quo facto haud ita multo post

---

*) Bartholomaeus Schonborn artem medicam Vitebergae professus erat. — Andreas Freihubius, Prof. theol. Lipsiensis, primum quidem Formulae concordiae subscripserat; sed revocavit hanc subscriptionem ideoque e Saxonia eiectus est. Memoriae eius, Servestae defuncti, in templo S. Barthol. tabula posita est, quae Abrahamum, e patria sua profectum, ostendit addito epitaphio a Bersmano scripto.

**) Hic dies apparet ex epistola, qua Amlingius die 17 mensis Novembris amicum quendam Halensem huius rei certiorem fecit: „Heri operam suam condixit Senatui M. Bersmanus, quod tamen nondum spargi velimus, donec prægnantem coniugem cum supellectile, quod ante Calendas Januarias vix impetrabimus, ad nos transtulerit."

diplomate principis Rector et Professor gymnasii nuncupatus et honestissimis Senatus Servestani literis Lipsiae evocatus est. Sed ob uxoris graviditatem ei necesse fuit Lipsiae remanere, quoad illa partum ediderit. Cuius morae Amlingius cum reliquis Servestanis impatiens ineunte anno proximo, Idibus Ianuariis, haec ad illum dedit: „Iam dudum non tam literas, quam adventum tuum expectamus. Etsi enim varias experimur remoras a Spiritu non Christi obiectas: tamen propter Coetus scholastici dissipationem tua maximopere indigemus opera. Dabis igitur operam, ut quam primum nos certiores facias, quando expectari velis.“ His acceptis literis Bersmanus eodem mense, Lipsia cum coniuge et liberis relicta, tandem Servestam se contulit.

XXIII.

Dies tricesimus mensis Ianuarii anno MDLXXXII Servestanis is dies festus fecit, quo felicissimis *Ioachimi Ernesti* auspiciis Gymnasium illustre solenniter apertum eiusdemque gubernatio nomine principis Rectori Gregorio Bersmano demandata est.*) Quo in actu Bersmano etiam virgae in manus traditae esse feruntur, non tam eo consilio, ut Rector de disciplina strenue exercenda admoneretur, quam ut ei significare-

*) De solemnibus, quibus hæc inauguratio celebrata est, v. Becmani histor. Anhalt. tom. III, ubi etiam nomina eorum, qui in catalogo alumnorum primo loco inscripti sunt, leguntur hæc: Valerius Zeuschner, Sprottensis Silesius; Johann Anzinger, Landingensis Boïus; Matthaeus Bernertz, Brandenburgensis. „Dass also drei Fremde die erste Stelle in der Matricul des Gymnasii bekommen; wie dann auch in den ersten 18 Jahren bis 1600 nur 200 Anhaltiner, der Fremden aber weit mehr und über 300 immatriculiret worden.“

tur, se non modo illustris Gymnasii, sed etiam trivialis, quae dicitur, scholae Rectorem esse et antistitem. Totus ludus enim octo classibus ita dispositus erat, ut ad inferiores quatuor classes ea institutio pertineret, qua pueri primis literarum elementis antea imbuti fuerant in duabus scholis oppidanis illis, quae iam in unum quasi corpus coniunctae erant cum gymnasio, cuius ad altiora studia aditus nonnisi a quinta classe patebat. His in superioribus vero quatuor classibus praescriptum erat, ut ad tradendas linguas et literas nulli admitterentur praeceptores, nisi qui academico Magistri honore et titulo ornati essent, „non quidem ostentationis causa, sed partim maior ut iisdem apud discipulos auctoritas conciliaretur, partim etiam, ne cuivis in functiones illas temere expetendas aditus pateret.“*) Gymnasii collegae Bersmano primi erant: *Bartholomaeus Schonborn,* Med. D. et Professor Matheseos et Physices, *Balthasar Kisewitter,* Prof. Ethices, *Barthomaeus Gericke,* Prof. iuris. Theologiam tradebat Magister *Amlingius,* Superintendens, ad normam Locorum Melanchthonis communium; doctrinam pietatis christianae catecheticam vero M. *Nicol. Kindius,* Pastor ecclesiae S. Barthol. proponebat, Catechismo Lutheri maiore et Examine Melanchthonis ducibus.

Ita optime provisum erat id, cuius causa Principem hoc gymnasium instituisse Bersmanus his verbis auctor est**): „Non enim fugiebat Principem praepostera plerumque studendi ratio et intempestiva ad scholas publicas festinatio et veluti sine pennis volatus. Itaque cum et ecclesiae et reipublicae et sua quoque plurimum interesse existimaret, illos in patriae ludo, prius quasi tirociniis quibusdam militiae literariae praeparari ad capessendam in academiis disciplinarum sublimio-

*) verba Amlingii l. l. a Becmano citata.

**) in oratione memoriae Joach. Ernesti Pr. habita.

rum cognitionem et scientiam, ne praepropera ad altiora contentione, Icari instar, in pelagus praecipitarentur ignorantiae: gymnasium hoc aperuit, idque et praeceptoribus instruxit idoneis, qui studiis discentium cum in paedagogio, tum in doctrinae publicae auditorio, fideliter praeessent, et stipendiis auxit locupletibus, et speciosis aedibus."

Aedes gymnasii speciosae, quarum hic mentionem fecit Bersmanus, aedes erant coenobii Sct. Ioannis, in quo antehac monachi Franciscani alebantur, quam quidem rem Bersmanus quoque designavit carmine, hoc loco haudquaquam omittendo:

IN GYMNASIUM ILLUSTRE EXTRUCTUM AB ILL. ET GENEROSISS. PRINCIPE IOACHIMO ERNESTO ANHALDINO.

Hæc rasae quondam fratrum fundata catervæ
  Atque cuculligero tecta dicata gregi,
Aonidum addixit templis, Christoque sacravit,
  Ascaniæ Princeps fama, decusque domus;
Sic de tergemino meritus præclarius orbe,
  Sic rebus patriæ commoda plura ferens.
Quam cum, pervigili Alcides custode peremto,
  Abstulit ad patrios aurea poma lares.
Denique sic magni mensuram nominis implens,
  Ascane quod primo de genitore refert.
Salve Musarum spes ac Pietatis asylum
  Quo florent urbes præside, templa, scholæ.

XXIV.

Fideli atque felici opera Bcrsmanus Servestae eo intendit, ut inventutem sibi concreditam optimis et artibus et moribus imbueret. Quasi iam cognovisset praeclaram illam sententiam, qua clarissimus nostrae aetatis philologus Böckhius „philologiam esse cogniti cognitionem“ iudicavit, Bersmanus non contentus erat, abstractas rerum et verborum notiones memoriae discipulorum infigere, sed res et sententias a scriptoribus veteribus traditas, inter se conferre, ad unitatem redigere, ad historiae rationem revocare, ad praesentis vitae et temporis usum referre, uno verbo ut dicam, id contendere, ut generis humani in cultura atque humanitate progressus concretam speciem atque effigiem discipulorum animis informaret, hoc sapientiae Bersmani in tradendis linguis et literis erat consilium et studium, diligenter usque observatum. Quo ex consilio et studio amabat quoque fabulas poëtarum veterum ita interpretari, ut res gravissimas, sive ad vitam hominum sive ad naturam spectantes, iis adumbratas et quasi per imaginem depictas esse ostenderet, cuius interpretationis hoc unum sufficiet attulisse exemplum*): Nota est Persei historia, quem adversus Gorgonum gentem, quarum regina fuit Medusa, bellum gessisse, Graeci Scriptores memorant. Sed huius rebus gestis fabulae cum alia admiscuerunt, tum narrationem de Medusae capite saxifico, Deorum ope, ab ipso amputato. Haec fabulose afficta, quantam in summa brevitate continent doctrinae copiam, conferentis ad vitam atque mores? Si Perseum scilicet rationem intelligas, Medusam vero,

*) V. Præf. ad Ovidii Metamarpheon libros.

una cum sororibus, voluptatum illecebras, quae ratione superari solent divino adiuta auxilio: id quod aegis Minervae innuit cum Mercurii gladio et Orci galea, quibus poëtae illum armavere. Quod si Gorgones, quae Dorcadas Oceani Aethiopici insulas habitasse perhibentur, aquas ipsas interpreteris maris filias, Medusam vero partem earum tenuiorum, ac supernatantem, Perseum denique solem: non defuturae sunt in hac ipsa fabula subiectiones ingeniosae de naturae Deique opificis actionibus mirabilibus, vires suas naturae impertientis:"

De latinae scribendi elegantia monebat discipulos, ut orationem ad recta exempla fingerent, principis inprimis oratorum et eloquentiae Romanae parentis, Ciceronis*) exemplum ut sequerentur et similitudinem exprimerent, non quidem ut simius hominis, sed ut filius patris. Quantum faciat, sermone puro, elegante et perspicuo uti, quamque necesse sit, inaudita et insolentia verba fugere, exemplo illustrare solebat illius Sisennae, qui (teste Cicerone), cum quasi emendator esse vellet sermonis usitati, in iudicio irrisus fuerit propter unius duntaxat verbi, populi Romani auribus ignoti, usurpationem**). Pietatis denique et virtutis christianae ut assiduus adhortator esset, auribus puerorum et iuvenum hunc versum canere non desiit: *Omnis doctrina est demta pietate venenum.*

Ita igitur „cum divitias ingenii sui ipse explicaret, non magno negotio omnium ad se studia atque ora convertit.

---

*) De Cicerone Lutheri iudicium non possum, quin huc apponam:

M. T. Cicero ist einer unter den höchsten Leuten auf Erden gewesen, welchen Gott, wiewohl untern Heiden, sonderlich erwählet, dass durch ihn die ganze lateinische Sprache sollt gefasst und erhalten werden. Der hat ja überschwänglich grosse Gaben und Gnaden gehabt. Darüber alles ist er der höchste, trefflichste und allerbeste Redner gewesen, der in der Sprache vom Anfange, oder im ganzen Röm. Reich, aufgestanden, oder erfunden ist. Opp. Luth. tom. XII. Viteb. Germ. p. 87.

**) v. Præf. ad tom. II poëmatum.

Nam eo docente concursus audiendi causa non modo ex urbe, sed etiam ex vicinis Academiis fiebant. Inde ex eius schola excellentissimi viri exierunt, quorum alii ecclesiae Dei, alii reipublicae alii scholis utiliter inservierunt. Honoris causa saltem aliquos nominasse sufficiat. E numero auditorum Bersmani fuit *Otho a Grünrad*, Senatus ecclesiastici Heidelbergæ quondam praeses: Bersmani auditor fuit *Bartholomæus Coppen*, theologiae Doctor et Professor: Bersmani alumni disciplinae fuerunt *Daniel Nebel*, *Reinerus*, *Bachovius*, *Echtius*, Iuris consulti clarissimi, *Bartholomæus Pitiscus*, theologiae Prof. et aulae Palatinae nuper a sacris concionibus; *Wolfgangus Lossius*, philosophus et medicus experientissimus aliique quam plurimi.“*)

XXV.

Quemadmodum aqua moris dulcior in imo est, quam in summo, ita viris doctis literae eo suaviores esse solent, quo magis illas penetraverint. Quod quidem Bersmano nostro usu venit, qui eam ipsam ob causam id quoque temporis, quod ab officio et munere vacabat, literis dare solebat plurimum. Cui industriae aequales quatuor auctorum veterum editiones a Bersmano Servestae adornatas acceptas tulerunt. Anno enim MDLXXXVII et postero Enarrationem in P. Virgilii Georgica edidit, „cum indicatione et collatione auctorum tum Graecorum tum Latinorum ad copiam et facultatem doctrinae eruditae atque linguae utriusque“ apposita. Quae enarratio, duobus tomis comprehensa, uberiorem continet explo-

*) Verba M. Adami, ex oratione funebri repetita.

cationem eam, quam editor olim Lipsiae studiosae inventuti praelegerat. Tomus primus dedicatus est clariss. *Philippo Camerario*, qui renovandae veteris amicitiae causa superiori anno Servestae cum Bersmano convenerat, qua occasione oblata alter cum altero iucundam pristinae censuetudinis et coniunctae in bonarum literarum militiae, operae et laboris recordationem familiari eoque suavissimo colloquio repetiverant, utrique mutuo sibi gratulantes exitum ac finem studiorum „neutri poenitendum."

Anno sequente Bersmanus *M. Annaei Lucani* de bello civili vel Pharsaliae libros decem, ex quatuor manu exaratis codicibus emendatos scholiisque illustratos typis excudendos curavit, quoniam ea, quae vere poëtam faciunt, „elaborationis et perpolitionis versuum diligentiam" illo in opere non modo apparere, sed cum excellentia quadam eminere iudicabat contra opinionem eorum, qui Lucanum „navem vento plenam" i. e. rhetorem potius quam poëtam esse censebant.*)

Anno MDCXI Commentarios in *M. T. Ciceronis* orationes (pro Archia, Marcello, Milone et XIV Philipp.) ex aliorum interpretum scholiis collectos, suo studio locupletatos et iuventutis rationibus adaptatos emisit. Anno denique MDCII *Horatii Flacci* poëmata illustrata et emendata edidit adhibitis sex codibus manuscriptis et optimae notae libris aliquot impressis, e quorum numero praecipuus fuit, qui Dionys. Lambini emendationem reddebat, Antverpiae excusus. Ipsum poëtam Venusinum Bersmanus eadem cum Virgilio palma dignum iudicavit ita, ut si eorum altero utro carendum nobis sit, non aeque in promtu sibi putaret statuere, utrius iactura animo ferenda esset aequiore. „Quod enim ad carminum requiritur sonum

---

*) Accesserunt huic editioni: Lucani ad. Calp. Pisonem Panegyricus, Camerarii et Scaligeri notae; item annotationes Micylli.

et numeros, nervumque ac maiestatem, haec profecto, nisi me admodum ratio fugit, et singula et universa in Horatii Lyricis non reperias inferiora iis, quae in Epicis Maronis excellunt: puritatem autem et nativam, minimeque, ut ita loquar, fucatam sermonis Romani integritatem, candorem, elegantiam, venustatem atque eruditionis poëticae copiam ac varietatem, qui in Marone admiratur, nequaquam ea, ut arbitror, desideraturus est in Flacco."

Praeterea Bersmanus iam anno MDXCI novam carminum suorum editionem adornaverat adiuncta parte altera, qua multa continentur apologetica, necessitate quidem, ut autor asseverat, extorta, sed acerbissime dicta in adversarios, „genus hominum irritabile, implacabile, procax, contumeliosum, atque insana maledicendi libidine ebrium, quod nihil aliud studeret, nisi ut lutulentus sus cum quovis volutari." Suspicabantur enim illi adversii, theologi nimirum e castris Concordistarum, Bersmanum ad se oppugnandos Amlingii adiutorem esse eum, qui non modo multa illi in calamum dictaret, sed ipse quoque celato nomine libellos contra asseclas Formulae Concordiae spargeret, quare „crabronum instar" suis in Bersmanum aculeis irruerunt. „De quo," inquit ille, „non aversante valetudine, plura a me proferentur, quibus notum fiat posteritati, quae monstra et portenta hominum in sinu suo aluerit Ecclesia." Probra scilicet iacere in adversarium eumque foedissimis conviciis proscindere, haec erat illis temporibus et isto rerum statu admodum plausibilis et grata vulgo oratio. Quare Bersmanus si qua nimius fuerit in repellendis hominum contumeliosorum criminationibus, id temporis vitium habendum est, non illius, quippe qui etiam confirmat, se sui pudoris rationem ita habuisse, ut ea diceret, quae ipse honeste effari posset, non quae adversarii potuerint audire."

Reliqua quoque huius tomi carmina, exceptis Psalmis

aliquot egregiis, ex privatis occasionibus scripta sunt. Cur non de ampliori aliquo argumento vires suas experiri maluerit, eius rei duo sibi maxima obstitisse impedimenta saepius perhibet, penuriam scilicet Maecenatis et fortunae adversationem. Utrumque vero ex illius temporis turbato statu publico fluxit. Sicut enim inter arma silent leges, ita etiam literae et artes minoris aestimantur et Maecenatum favor languescit. Ac si verum est, quod nemo ibit inficias, poëtae ad altiora et ampliora carmine complectenda opus esse non solum otio, sed et animo ab omni perturbatione liberrimo, quodnam tempus tali operi magis incommodum erat, quam illud, quo religionis nomine contra leges humanitatis acerbissimae exercebantur inimitiae, quo etiam Bersmanus, rixis et turbis illis implicitus, vitae suae neque privatae neque publicae securitatem sibi esse in potestate vidit?

Quaenam vero alia causa fuit tantorum tumultuum, quam illa formula, a Flacianis et Ubiquitistis sibi quidem fraternitati, sed odio Melanchthonianorum scripta? Ea sane concordiae formula discordiae seminatrix, stirps atque semen exstitit maximae, eadem geminos illos, quos Deus coniunxerat, veritatis evangelicae testes et doctores, Lutherum et Melanchthonem, disiunxit, ea denique quam plurimas ecclesias a societate Lutherana retrusit et ad consociationem cum Reformatis propulsit. Id quod etiam ecclesiae Anhaltinae accidit, quae, ne diutius ferret quae ferenda non erant convicia, anno MDLXXXXVI societatem cum Reformatis ecclesiis iniit, ita vero ut a recepta Confessionis Augustanae doctrina, Lutheri et Melanchthonis consensu probata, nihil recederetur. Quod quidem et Bersmanus noster probavit, qui ad mortem usque Confessioni Augustanae addictissimus mansit, quam Lutherani, adoptatis Formulae concordiae ubiquitariis sententiis, longe excesserant, tyrannidem simul novi Pontificatus sustinentes.

XXVI.

In ipsa urbe Servesta Bersmano contigit, quod maximam beatitudinem praedicat Cicero, ut vel in negotio sine periculo, vel in otio cum dignitate esse posset. Est enim ea vis et natura honesti, quod si in quo cernitur, cunctos movet. Itaque Bersmanus, quoad vixit, et Principum gratia et optimorum cuiusvis loci virorum observantia, multorum etiam caritate gavisus est. Quantus autem externorum amicorum numerus eum observaverit, videre licet ex epistolis, tomo alteri poëmatum annexis. Quae quidem Bersmani amicitia cum praestantissimis aetatis suae viris non tantum privata erat, sed ad rempublicam, ecclesiam et scholam spectabat ac studiis literarum inserviebat.

Cum suis etiam ille noster amantissime et iucundissime vixit. Liberos e coniuge decem susceperat, quatuor filios et sex filias, e quibus sex praematura morte perierunt, unus, optimae spei iuvenis, *Gregorius Petrus*)*, in medio studiorum cursu Altorfiæ maligna febri absumtus anno MDCI. Hoc filio dilectissimo, quem thesaurum suum appellare consueverat, ademto Bersmanus tam grave vulnus accepit, ut inde ab eo tempore animus eius, quem tot rerum adversarum procellae frangere non potuerant, multo debilitaretur et tristi saepe mortis desiderio moveretur, quem tandem die quinto mensis Octobris anno MDCXI pie et placide obiit. Nam male mori non potest, qui bene vixit**).

---

*) Plura de hoc filio retulit Beckmann in Hist. Anhalt. P. VII. Fol. 330.

**) De quo Bersmani pio obitu non possum, quin ea hac transcribam, quæ M. Adamus ex oratione funebri ita retulit: „Quamquam calculi doloribus sæpe maceraretur, raro tamen lectiones publicas intermittebat: donec viribus indies languescenti-

Plato pleraque scriptorum cum Adoniis hortis comparavit, qui subito et die uno nati celerrime perirent: id quod Bersmano quoque nostro evenit. Quare memoriam Bersmani renovans officii mei duxi, ex horto poëmatum illius aliquot saltem flores excerpere, quos iam lectoribus offero, Bersmani nomine rogans, ut, si leviores quaedam sententiae, quasi lolium in meliore fruge, intercurrant, id benevolentiae excusatione tegere velint*).

---

bus die XVIII. Cal. Octobr. in ardentissimam febrim incidit: qua tamen, I. Sagittario Physices in eo Gymnasio Prof., medicamenta præscribente, denique caruit. Sed paulo post vehementiores, quam antehac unquam, ex calculo vesicæ dolores iterum percepit, quibuscum ei noctu et interdiu multum fuit conflictandum. Constanti autem animo dolores acutissimos et certam iamque imminentem mortem tulit: seque totum ad felicem ex hoc vita migrationem paratum esse non semel D. Samueli Fabricio, verbi divini apud Servestanos ministro, significavit, vera animi submissione peccata sua Deo confessus, ab eodem sibi veniam dari serio petit, nihilque aliud, quam sacræ scripturæ dicta eximia in ore habuit, præsertim illud Jobi: „Scio quod redemtor meus vivit" et alia. Item cantionem illam germanicam: „Wenn mein Stündlein vorhanden ist." Et sic tandem placide nullo incomposito gestu vel motu, dormienti similis, beatam animam Deo reddidit, et in fide Christi, unici Servatoris, obdormivit die III. Nonar. Octobr. inter horam 7. et 8. matutinam, cum vixisset annos LXXIII."

*) Etsi scio, mihi Theologo cavendum esse, ne in campum Philologorum excurram, tamen temperare mihi nequeo, quin de arte metrica notam ad Bersmanum pertinentem, huc apponam. Bersmanus enim in carminibus suis, penultinam verbi „præstolor," producit, quemadmodum plerique illius ætatis poëtæ solent. Sed „præstolari," quod nihil aliud est, quam præsto esse (ab antiquo „præstus," unde „præsto" superest) ad derivatam formam præstulus s. præstolus referendum ideoque in penultima corripiendum est, quoniam ea, quæ in olus, a, um, sive ulus, a, um desinunt, verba penultinam corripiunt omnia. v. Becmani, celeberrimi quondam Superintendentis Servestani, Philologi suo tempore excellentissimi, Origines linguæ latinæ.

XXVII.

FLORES ALIQUOT E BERSMANI CARMINIBUS EXCERPTI.

O nimium felix, o terque quaterque beatus,
Qui reverens merito numen honore colit,
Quique Dei leges amplexus, pectore toto
Has amat, has vitae gaudia sola vocat.

Tu rerum quodcunque geris, commite supremo,
Omnia qui fecit, facta regitque Deo.
Eius ab arbitrio via stet tua, resque, domusque:
Diriget ille tuam, remque domumque tuam.

Lux iustis oritur, cum nox terrae incubat atra.

Vespera iam venit, ne nos o Christe, relinquas,
Tuam benignus lampadem sed praeferas,
In salebras noctu caecas, ne fraude viarum,
Fossasque devios pedes error ferat.

Cui Deus immuni dat libertate potiri,
Non optet servo subdere colla iugo.

Nil homini natura dedit, quod duret in aevum,
Ingenium tollas, omnia mortis erunt.

Sunt nullae nisi mentis opes, quas dicere vere
Divitias, aliis anteque ferre queas.

Quae Christum nescit doctrina, ut culmen Olympi
Ingenii superet culmine, crimen habet.

Pacis amans, rixas, convicia, bella perosus,
Officii facias debita rite tui.

Divitiis fruere, ut supremae debitur horae:
Parce bonis, ut qui longius esse velis.
Ille sapit recte, quisquis perdoctus utrumque
Parcendo et dando novit habere modum.

Scire mori non est postrema scientia: namque
Non meditata viro mors, nocitura venit.

Vive pius, moriere pius: mors dira bonorum
Atque malorum uno limina calce ferit.

Nascentes morimur, finem simul inchoat ortus.

Omnia sunt hominum mortalia: sola perenne
Post obitum nomen fama superstes habet.

Firma diu speres tibi gaudia nulla viator:
Fata mala rapiunt optima quaeque manu.

Serius aut citius cunctis stat terminus aevi,
Stat sua, muneribus non redimenda, dies.

Dum bibimus, dum serta, iocos, unguenta, puellas
Poscimus, incautis cura dolorque subit.

Fama manet, merito quemvis ex munere vitae
Aut palma decorans, aut gladio iugulans.

Omnia fert genetrix annorum incana vetustas,
Ingenio partum nescit obire decus.

Macte nova virtute puer, quo gloria ducit,
Quo te Musarum nobilis ardor agit.

Perge, precor, celeri metam contingere cursu,
  Perge, nec inceptum desere segnis iter.
Macte nova virtute, puer, sic itur ad astra,
  Hoc recto ad superos tramite ducit iter.

Haud uni pariter confert Deus omnia saeclo,
  Uni largitur nec bona cuncta viro.

Esse cupis solus, cupis omnia solus haberi,
  Omnia cum fueris, sis aliquando nihil!

Heu doctum esse minus nunc est, quam posse videri,
  Dum specie falli credulus orbis amat.

Leges tolle, labat vitae decus et simul omnis
  Disciplina perit, vivendi more peremto.

Crede mihi, mentis fallax hunc decipit error,
  Qui pariles inter cuncta licere putat.
Junxit amicitiam socio sibi foedere virtus,
  Non ut nequitiæ serviat illa iocis.
Sed comes ut casus ipsam sectetur in omnes,
  Seu fortuna iuvet, sive sinistra tonet.
Firmiter unanimos hæc gratia nectit amicos,
  Quae virtute animos conciliante coit.

Pacis amans Deus est, floret Respublica pace,
  Pace vigent artes, pace coluntur agri.

Pulcrum est cognatæ celebrari nomine gentis,
  Pulcrius est meritis nomen habere suis.

Gratior est pulcro splendens in corpore virtus,
  Qui virtutis eget, nil iuvat oris honor.

Auribus auscultare tuis, oculisque videre
  Disce tuis, aliis credere vana fides.

Sæpe dolis sævos evadere profuit hostes,
Cum nullum virtus ardua pandit iter.

Egregia est virtus mores tolerare parentum.

Pelle metus, dubios animo depone timores,
Nam Deus est vitæ spes nostræ fonsque salutis.

O mira matrimonii
Deo ligante copula,
Deiuncta quæ terra, mari,
Amore iungit pectora.

O mira matrimonii
Vis, quod duum insolubili
Unum facit ligamine,
Unumque rursus duplicat.

AENIGMA.

Ipsa oculorum expers, nec cernens quicquid ubique est:
Sum tectorum oculus, per me domus omnia cernit.

ALITER.

Luce carens radiis collustro tecta serenis,
Quo careo, hoc aliis me dare posse negas?

IN ANTIQUISSIMAM ILLUSTRISSIMAMQUE DOMUM ANHALTINAM, QUÆ ECCLESIÆ CHRISTI ET SCHOLARUM EST HOSPITIUM.

Ascane ducta domus, sancto custode sacrorum,
Qui genus Iapeto nobile ducit avo,
Quique, Tuisco, tibi tribuit primordia stirpis,
Salve primævus nobilitatis honos.
Salve ter generosa domus, qua principe gentis
Saxo suæ gaudet, principe Brennus ovat.
Sed neque Saxo nepos, animos licet æquet Olympo,
Nec Brennus tituli fama secunda tui.
Stirpe sua tantum meruit tibi laudis honorem,
Quantum Calliope Relligioque dedit.
Musarum loquor hospitium, pietatis asylum,
Quo trifido clarum nomen in orbe geris.

GREGORIUS BERSMANUS.

Emendanda.

Quum propter maximam typographi festinationem auctori nulla antigraphi accurate emendandi potestas daretur, varia delicta operarum describentium in has pagellas irrepserunt, id quod sane dolendum. Delicta quidem majora hæc sunt:

pag. III. linea 4 lege S e r v e s t a n i p. Sevestani.
- 1 l. 7 a e r a r i o p. ærariæ.
- 25 l. 2 m u n e r i s p. numeris.
- 34 l. 5 c o n s i l i i p. conlisii.
- 43 nota 1. lin. 1 l i q u i d o s p. liquidas.
- 46 l. 15 s u m e r e n t p. sumeret.
- 46 l. nota 1. l. 1. H o s p i n i a n i p. Hospiriani.
- 47 l. 10 a n n u a p. anua.
- 49 l. 28 s c h o l i o r u m p. scholiarum.
- 54 l. 9 v e t e r i p. vetri.
- 55 l. 8 l i t e r a e p. literare.
- 55 l. 10 s u b s c r i b e r e n t p. suscriberent.
- 56 l. 16 f u i t p. fecit.
- 62 l. 5 c o n s u e t u d i n i s p. censuetudinis.
- 63 l. 16 a d v e r s a r i i p. adversii.
- 67 l. 8 c o m m i t t e p. commite.



